

3 18796

# GHR. HENR. OTT. GIRGENSOHNII

DIEM SEMISAECULAREM

PRIDIE CALENDAS DECEMBRES CELEBRANDUM

INDICIT

## ORDO THEOLOGORUM UNIVERSITATIS CAESARAE DORPATENSIS.

---

DE SUMMA CARMINIS IOBI SENTENTIA

PRAEFATUS EST

**GULELMUS VOLCK,**

PHIL. DR., THEOL. LIC., LL. SEMITT, P. P. O. THEOL. ORD. ADSCR., SOCIET. GERM.  
ORIENT. SOD.



DORPATI LIVONORUM

G. GLAESER TYPIS DESCRIPSIT.

---


MDCCCLXIX. 1869

3. 2. 16

ERR. HERR. OTT. CIRGENSONNII

THEM SEIN THEILAREN

PRINDE CALENDAS JUBILAEIS CELEBRANDUM



Imprimatur  
ex decreto senatus academici.

Dorpati Cal. Nov. A. MDCCCLXIX.

Nr 294.

Dr. **Georgius ab Oettingen**  
Rector


(L. S.)

DE SENATU ACADEMIAE DORPATENSIS

RECTORI

GIORGII AB OETTINGEN

RECTORI ACADEMIAE DORPATENSIS



Emendanda.

Pag.	3	lin.	4	loco	<i>vimus</i>	legas	<i>verimus.</i>
"	8	"	8	"	<i>sit</i>	"	<i>esse</i>
"	18	"	23	"	<i>Hac</i>	"	<i>Hoc.</i>

DORPATI LIVONORUM

C. CLAREN TYPIS DESCRIPTIS

MDCCCLXIX

In illustrando libro Iobi licet nostra aetate doctissimi quique plurimum operae et laboris consumserint, tamen eo usque interpretandi deductum esse munus, ut nihil supersit laboris, contendere vix audeat, quicumque inspectis commentariis in hunc librum conscriptis miram quae distinet interpretes sententiarum cognoverit diversitatem. Qui dissensus cum in aliis, tum maxime in iis cernitur, quae de carminis argumento consilioque disputarunt, qua quidem in re adeo inter se discrepant, ut fere quot interpretes, tot sententias esse dixeris. Nam ut exemplis probem, quod dico: alii communem et a majoribus traditam Hebraeorum opinionem, hominibus semper tales vitae res accidere statuentium, quales eorum moribus convenient, a poeta impugnari <sup>1)</sup>, alii eandem opinionem defendi ajunt <sup>2)</sup>; alii Iobum rebus adversis conflictantem populi Israelitici calamitatibus oppressi tueri personam rati auctorem hoc spectasse contendunt, ut popularium animos a vanis solatiis ad fiduciam avocaret in divina sapientia collocandam <sup>3)</sup>; alii perfectam patientiae spectataeque virtutis Iobum

---

1) In hanc sententiam disputarunt Umbreit (*d. B. Hiob* p. XII sqq.); Hirzel (*Hiob* 1839, p. 2 sqq.); de Wette (*Lehrbuch der hist. krit. Einleitung* p. 389; *Encyklop.* edd. *Ersch et Gruber* VIII, p. 291 sqq.); Krahmer (*die hist. theol. Wichtigkeit u. poet. Einheit des B. Hiob in Niedneri Zeitschrift f. hist. Theol.* 1857. p. 313 sqq.) Cf. *Geschichte des Volkes Israel* edd. Weber et Holtzmann I, p. 436 et *introduction to the old testament* by Samuel Davidson II, p. 217 sqq. V. etiam Renan (*le livre de Iob* p. LXXXII sqq.).

2) cf. Stickelii in *Iobi loc. celeb. cap. 19, 25—27 de Goële comment.* p. 66.

3) Sic Clericus in *veteris testamenti libris hagiogr.* ad Iob. 1, 1; cf. Arminii von der Hardt *comm. in Iobum sive hist. populi Israelis in Assyriaco exilio* I, p. 1728; Garnettii *dissertation on the book of Iob etc.* (Lond. 1751); Warburtonii

exhibere speciem<sup>1)</sup>; alii id potissimum poetae propositum fuisse dictitant, ut monstraret dedecere homines vel malorum mole obrutos divinam rerum administrationem, sapientissimam illam quidem, scrutari vel adeo vituperare<sup>2)</sup>; alii veram sapientiam<sup>3)</sup>, alii animae immortalitatem libro doceri<sup>4)</sup>, alii piorum, qui malis aerumnisque tententur, et labores et victoriam ostendi<sup>5)</sup>, alii calamitatum, quae iis accidant, causam exponi censent, in eo ponendam, ut emendentur eorum mores et comprobetur pietas<sup>6)</sup>. In hac tanta sententiarum diversitate operae pretium esse duxi, gravissimam illam quae est de summa carminis Iobi sententia quaestionem denuo

librum: *Die göttl. Sendung Mosis* III, p. 205 sqq.; Heathii *essay towards a new english version of the book of Iob etc.* (Lond. 1756); Bernsteinii diss. in Keilii et Tschirneri *Analekten* I, 3 p. 109 sqq.; Br. Baueri librum: *Die Religion d. A. T.* II, p. 477 sqq.

1) Ita Ilgen (*Iobi antiquissimi carm. hebr. natura atque virtutes* p. 201. 223); Schaerer (*d. B. Hiob übers.* p. XXI); Augusti (*Einl. ins A. T.* p. 267); Dathe (*Iobus, provv. etc.* Hal. 1789. p. 64).

2) Ita Stuhlmann (*Hiob* p. 12 sqq.); Bertholdt (*Einl.* V, p. 2048 sqq.); Eichhorn (*Einl.* V, p. 114 sqq.); v. Coelln (*bibl. Theol.* I, p. 293 sqq.); Knobel (de carminis Iobi argumento etc. §. 1 sqq.); Vatke (*bibl. Theol.* I, p. 576); Steudel (*Vorles. üb. d. bibl. Theol. d. A. T.* ed. Oehler p. 511); Herbst (*Einleitung* ed. Welte II, 2 p. 180); Heiligstedt in Maur. comm. IV, p. XIII; Simson (*Zur Kritik des B. Hiob* p. 11), Hupfeld (*deutsche Ztschr. f. chr. W.* 1850. Nr. 35 sqq.) Cf. etiam Kantii: *Ueber das Misslingen aller philos. Versuche in der Theodicee* (Berl. Monatsschr. Jahrgg. 1791 p. 213 sqq.).

3) Ita Baumgarten Crusius in *opuscc. theoll.* p. 174 sqq.

4) Ita Ewald (*Die poet. BB. d. A. B.* III: *das B. Iob* 1854, p. 11 sqq.) et J. D. Michaelis (*Einl. ins A. T.* I, p. 23 sqq.)

5) Ita Oehler (*Grundzüge der alttest. Weisheit* p. 19 sqq.); Schlottmann (*das Buch Hiob* p. 37 et 40); Keil (*Einl.* p. 356 sqq.). Cf. etiam Staehelin (*Einl.* p. 434) et Raebiger (diss. *de libri Iobi sententia primaria.* 1860.)

6) In hanc similemve sententiam disputarunt Vaihinger (*d. B. Hiob* p. 1 sqq.); Welte (*d. B. Hiob* p. XIV); Delitzsch (*Ztschr. f. Prot. u. Kirche* 1851 p. 65—85; *Realencycl.* ed. Herzog VI, p. 113 sqq.; *d. Buch Iob* p. 1 sqq.); Bleek (*Einl.* I. p. 652); Gerlach (*d. alte Test.* III, p. 8 sqq.); Hengstenberg (*Evang. Kirchenzeitung Jahrgg.* 1856 p. 153; 171; 183; 191); Hahn (*Comm. üb. d. B. Hiob* p. 2 sqq.); Haevernick (*Einl.* ed. Keil III, p. 300 sqq.); Gleiss (*Beiträge zur Kritik des Buches Hiob* p. 34). Huc pertinet etiam sententia Staedlinii (cf. *Beiträge zur Phil. u. Gesch. d. Rel. u. Sittenlehre* p. 198; 205 sqq.).

pertractare, praesertim cum controversias de libri integritate ortas arctissime cum illa cohaerere intelligerem. Pergamus igitur ad propositum ea quidem ingressuri ratione, ut, postquam paucis libri argumentum absolvimus, in interpretum varias opiniones inquiramus, dein his exploratis nostram sententiam in medium proferamus!

Poeta postquam viri probi bonique, Iobi nomine, de prosperrima rerum conditione in extremam miseriam deturbati delineavit imaginem legentesque docuit, divino permissu hoc ei injunctum esse mali, ut comprobetur ejus pietas: qualis in tolerandis malis fuerit ille, enarrat. Quae primo quidem patienter tulit; postea autem, ubi adventarunt amici, nihil illi quidem habentes consolationis, sed horrido calamitatis aspectu obmutescens, malorum obscura ratione magis magisque excruciatu perturbatusque querelis vehementissimis se dedit. Malorum causam a Dei justitia ultrice repetentibus amicis afflictumque, ut poenitentiam ageret, monentibus recte factorum sibi conscius innocentiam suam mordicus tenuit, calamitatis autem ambagibus vexatus in eam sententiam, ut Deum summa potentia praeditum arbitrato suo agere contenderet, disputavit, quin etiam eo usque audaciae processit, ut Deum provocaret ad malorum causam indicandam, agendi rationem defendendam, probandae innocentiae occasionem ipsi praebendam. Conticescentibus amicis postquam novus exitit Iobi corrector, Deum ab injustitiae crimine vindicans eumque hoc spectare in castigandis hominibus contendens, ut eos emendaret et occulta purgaret peccatorum labe; mortales autem decere, submissee consilia divina adorare: יהוה apparuit, cujus et adventu laetus quietusque et oratione pudefactus Iobus omnia, quae contra divinam rerum administrationem jactarat, revocavit; quo facto Deus eum rectius quam amicos locutum esse declarans in pristinam felicitatem eamque majorem quam antea restituit.

Poeta quid spectarit hac narratione, variae, ut jam dixi, discrepantesque interpretum sententiae sunt. Librum Iobi eo consilio scriptum

esse, ut in Iobo expressa cerneretur infelicitum Israelitarum imago, jam inter antiquioris aetatis interpretes erant qui statuerent. Neque tamen omnium, qui hoc sentiebant, in unum congruerunt opiniones. Nam cum Clericus pios Israelitas, una cum impiis patria extorres, significari existimaret, Warburton in patriam reduces designari arbitratus est, quos in tenuibus reviviscentis reipublicae primordiis ad summas angustias reductos poeta consolari voluisset. Nostra aetate Bernstein Clerici opinionem renovare novisque argumentis fulcire conatus est, poetam populum afflictum erigere dictitans ostentatis divinae sapientiae et providentiae consiliis ab hominum intelligentia remotis. Quod vix credo Bernsteinium cuiquam persuasurum <sup>1)</sup>. Nam ut mittam reliquas quibus haec sententia impeditur difficultates: quatenam est Iobo cum Israelitis exulibus similitudo? Nulla prorsus nisi haec, quod utrique malis tentantur. At malorum causa diversissima. Nam cum Iobus vexetur insons, ut probetur, Israelitae patria extorres meritas peccatorum luunt poenas <sup>2)</sup>, neque ad consilia Dei abdita revocandi, sed monendi erant, ut resipiscerent et in gratiam redirent cum Deo. Accedit quod toto libro nulla rerum quales tunc erant Israeliticarum ratio habetur, nulla extat sacrorum populi memoria: id quod, illa aetate si conscriptum carmen foret, jure expectares.

Ut Bernsteinii aliorumque similes sententias, ita etiam Br. Baueri commenta reprobamus, qui et ipse Iobum populi exulis imaginem repraesentare ratus animorum a se ipsis dissidentium commotiones libro ostendit e subita rerum mutatione ortas, quae postremo in divinae voluntatis

1) cf. quae contra Bernsteinii opinionem disputarunt Rosenmueller in *scholiis in vetus testamentum* V, p. 15; Kosegarten in *comment exeget. crit. in Iobi* 19, 25—27 p. 9; Bertholdt l. c. p. 2072; Haevernick l. c. p. 314 sqq.; Hahn l. c. p. 6; Keil l. c. p. 359; Delitzsch (*d. B. Iob* p. 15).

2) cf. Nehem. 9, 16—36; Dan. 9, 5—19.

obsequio acquiescant. Nam haec, ut Hegelii philosophiam redolent, ita et a libri argumento et a veteris testamenti indole aliena sunt.

Si interpretum alii hoc poetae propositum fuisse autumant, ut doctrinam Mosaicam, a superioribus Hebraeis acceptam, posteriore autem tempore labefactatam, justa scilicet lance pro suis cuique meritis jam in hac vita rependi, oppugnaret, alii, ut eam novis rationibus stabiliret: neutra opinio probabilis propterea potissimum, quod illa doctrina, quae ut Mosaica venditur, nulla est. Etenim cunctorum malorum causas a Dei justitia ulrice repetendas; nihil calamitatis accidere innocenti; divinam justitiam in iis quae hominibus accidant jam his in terris cerni manifestam, si quis lege doceri Mosaica perhibet, tota re errat: id quod argumentis probare et longum est et supervacaneum <sup>1)</sup>.

Neque magis eorum mihi probatur opinio, qui poetam id spectasse dicunt, ut ab Iobo perfectae pietatis et patientiae exemplum sumeretur, quia, hoc si voluisset, eum sua sorte contentum, mala patienter ferentem, nec vero a Deo vituperandum facere debebat <sup>2)</sup>.

Falsam esse eorum quoque opinionem, qui poetam exponere dicunt, Deum majorem, sapientiorem, justiorem esse quam ut mortales, quibus patienter ferenda sint, quantiscunque malis afficiantur, consiliorum divinatorum rationes investigare et capere possint, ex hoc ipso conjeceris, quod eam vix tueri queas, nisi integras carminis partes a poeta abjudicaris: id quod Knobel <sup>3)</sup> facere non dubitavit, non solum Elihui orationes posteriore tempore insertas, sed etiam prologum et epilogum suppositicios esse dictitans. Huc accedit, quod poetam in ejusmodi doctrina,

1) Vide quae hac de re disputarunt Delitzsch in Herzogii: *Realencycl. f. prot. Theol. u. Kirche* VI. p. 124 sqq. et Oehler in Reuteri: *Allgem. Repert. f. die theol. Liter.* p. 91 sqq.

2) Vide Knobelium l. c. p. 15.

3) cf. l. c. §. 4—5.

nil certi solatii praebente, non modo ipsum acquiescere, verum etiam populares acquiescere jussisse, veri dissimillimum <sup>1)</sup>. Denique hoc quoque recte monuisse videtur Ewald <sup>2)</sup>, lobum neutquam in hoc vituperari, quod in consiliorum divinorum arcana penetrare voluerit.

Cum, qui Knobellii sententiae astipulantur, facere non possint quin libri corpus mutilent truncentque, Baumgarten-Crusius <sup>3)</sup> carmen, integerrimum<sup>4</sup> declarans hoc auctori propositum fuisse ait, ut, in ea quaestione, in qua humanae vitae sapientia Ebraeis censebatur, diversas quae obtinerent illius formas describeret: eam primam, quae pio se sensu unice contineret, deinde legalem ac popularem, tum quae sibi altius erigi videretur: denique majorem atque divinam, cui, dum in Dei reverentia vitam reponeret, penitior tamen clariorque supremarum rerum cognitio concederetur.<sup>4</sup> Sed praeterquam quod, quatuor illae pietatis formae<sup>4</sup>, quarum alia aliam exceperit, nec in populi Israelitici rebus inveniuntur et ex ipsius libri argumento vix ac ne vix quidem elici possunt, poeta tantum abest ut notionem verae sapientiae a materia sejunctae et simplicis explanasse dici possit, ut illam ad certam definitamque causam referat, in qua summa libri sententia quaerenda et ponenda erit.

Aliam rem enodandi rationem recentiorum Ewald tentavit, mortales, nisi cognita animi immortalitate, vitae hujus malis impares esse doceri libro contendens, ut qui altioris de illis deque animi aeternitate cognitionis fundamenta jecerit. Quae de summo carminis argumento sententia cum loco celeberrimo XIX, 25.—27., de quo maximam interpretibus disceptationem contentionemque esse constat, nitatur, non possumus non

---

1) Recte Haevernick l. c. p. 316: *Mit einer solchen trostlosen Negation hätte sich der hebräische Geist nimmermehr beruhigen können, und auch unser Buch hat das nicht gethan.*

2) cf. l. c. p. 52 not.

3) cf. l. c. p. 176; 191 sqq.



accuratius eum examinare, quid ad dirimendam de qua agimus quaestionem inde redundet, simul exploraturi.

Quatuor potissimum de hoc loco virorum doctorum increbruerunt opiniones. Alii verba ad mortuorum in vitam reditum relata volunt <sup>1)</sup>, alii Iobum sperare dicunt, se his in terris in pristinam felicitatem restitutum iri <sup>2)</sup>, alii eum, ut qui jam antea Dei adventum, quocum expostulet, exoptarit (13, 3. 22), jam confidere contendunt, fore ut, priusquam in sepulcrum descendat, Deus appareat innocentiae suae testis et vindex <sup>3)</sup>; alii denique verba de re post mortem futura explicantes immortalitatisque spem iis contineri arbitrantes hoc Iobo persuasum fuisse ajunt, ad suum tumultum Deum vindicem staturum suamque se inspectante causam adversus amicorum calumnias acturum <sup>4)</sup>. Illa quam primo loco posuimus interpre-

1) Ita inter antiquioris aetatis interpretes Hieron. (Vulg.), LXX [cf. quae contra Stickelii sententiam, LXX locum de *resurrectione carnis* intellexisse negantis, Umbreit (*Stud. u. Krit.* 1840, 1) et Ewald (*Theol. Jahrb.* 1843, 4) monuerunt], Targ., Clem. Rom. (in *epist. I. ad Corinthios*), Origenes (in Matth. 22, 23 sqq.), Cyrill. Hieros. (*catech.* XVIII, 14—20), Ambrosius (in Ps. 118. *serm.* 10), Epiphanius (*anc. segm.* 89—103), Rufinus (*expos. symb.* in opp. Cyprian ed. Rig. p. 399), Augustinus (*de civ. d.* XXII, 29), alii. Hieronymum secutus est Luther. Nostra aetate verba ad *resurrectionem carnis* retulerunt A. Schultens, Kosegarten l. c., J. H. et J. D. Michaelis, Rosenmueller. Cf. quae de historia interpretationis loci hujus Iobei scripserunt Henke (opuscc. acad. p. 85 sqq.); Stickel l. c. p. 4 sqq., Hahn (*de spe immortal. sub veteri testamento gradatim exculpta* p. 34 sqq.), Heiligstedt l. c. p. 139 sq.

2) Sic inter veteres imprimis Chrysostomus (cf. Henke l. c. p. 124 sqq.), quem ceteri ecclesiae Graecae doctores secuti sunt; e recentiorum numero Eichhorn (*Allgem. Bibl. d. bibl. Liter.* I, 3), v. Coelln l. c. p. 219 sq., Baumg. Crusius (*Grundzüge der bibl. Theol.* p. 334), Knapp (*Vorless. üb. die chr. Glaubensl.* II, 537), Ilgen l. c. p. 161 sqq., Kiesselbach (*dogma de rebus post mortem fut. e vet. test. scriptis etc. erutum atque illustratum.* Heidelb. 1832. p. 45 sqq.); alii.

3) Ita Knobel (l. c. p. 19 not.), Stickel, Hirzel, Heiligstedt, Haevernick (*Vorless. üb. die Theol. d. alt. Test.* ed. Hahn p. 203 sqq.), Gleiss l. c. p. 18, Steudel l. c. p. 499, Hahn, Hofmann (*Schriftbew.* 3, 503), Simson l. c. p. 7 sq.

4) In hanc sententiam disputarunt praeter Ewaldum, qui (cf. l. c. p. 199 sq.; *Tüb. Jahrb.* 1843 p. 718 sqq. et *Jahrb. f. bibl. Wiss.* IX p. 30 sqq.) versu 26. divinationem immortalitatis, vitae tantum spiritualis post corpus destructum futurae exprimi

tatio cum jure exoleta dici possit, quatenus e reliquarum numero eligenda sit, quaeritur.

Immortalitatis spem qui verbis expressam volunt, hoc Iobi dictum et illos libri locos, ubi non modo non ab expectatione vitae post mortem futurae malorum medicinam petit, sed ne ullam quidem mortali, simulatque animam efflarit, relictam esse spem queritur <sup>1)</sup>, ita inter se conciliant, ut Iobi spem, quae antea prostrata fuerit, jam victricem exurgere contendat, quare eum talia proloqui necesse sit, qualia antea cogitatione amplecti non potuerit <sup>2)</sup>. Quae ne argutius quam verius disputata sint, ipsi viderint. Nam si hoc recte dicunt, Iobum jam redintegrato animo laetissimam divinae gratiae post mortem sibi affulgentis expectationem concipere: quid tandem causae est quod spem illam adeo non retineat, ut vixdum conceptae oblitus novis indulgeat querelis? Nonne ex hoc ipso conjeceris, eam cum libri consilio non convenire <sup>3)</sup>?

Et profecto non convenit: id quod et totius fabulae exitu et ipsa Iobi conditione probatur, quae quidem ita comparata fuit, ut fieri non posset, quin summo divini patrocini ante ipsam mortem impetrandi desiderio afficeretur. Etenim hac in vita cum in Dei iram <sup>4)</sup> incurrisset sibi videretur, quid spes vitae post mortem futurae praebuit solatii? Quanam alia in re acquiescere potuit animus angore discruciatum quam in eo, ut Deus se propitium profiteretur? Jam cum et Iobi preces semper eo

---

censet, Vaihinger, Gerlach, Hupfeld l. c. p. 287, Boettcher (*de inferis rebusque post mortem futuris ex Hebraeor. et Graec. opin.* I, p. 162 sqq.), Koestlin (*de immortal. spe, quae in libro Iobi apparere dicitur*), Koester (*d. B. H.* p. XXII), Schlottmann, Hoelemann (*Sächs. Kirchen- u. Schulbl.* 1853 Nr. 48. 50. 62), J. Koenig (*Die Unsterblichkeitsidee im B. Iob* 1855), Delitzsch (*Iob* p. 214 sqq.), alii.

1) cf. 7, 7—10; 3, 11—16; 10, 18—22; 14, 7—12. 13. 14; 17, 11—16.

2) cf. Oehler (*vet. testam. sent. de reb. post mort. fut.*) p. 81.

3) cf. Haevernick l. c.

4) cf. 13, 24 sqq.; 19, 11; 30, 21 (33, 10). Cf. Fries (*Jahrbb. f. deutsche Theol.* IV, p. 790).

spectent, ut Deus ad disceptandam controversiam in scenam prodeat <sup>1)</sup>, et totius poematis fabula ad eum exitum perducatur, ut Deus appareat ejusque adventu animi tranquillitatem recuperet Iobus, facile adducimur, ut credamus, divinae illius intercessionis, tam ardentem et saepe exoptatae, etiam verbis 19, 25.—27. exprimi desiderium, et ex poetae sententia, quum exclamaret Iobus illud עֵתָה עֵינַי רֹאֶהךָ <sup>2)</sup>, eum voti fuisse compotem.

Quae si recte vel probabiliter saltem disputata sunt, eorum opinionem, qui verba de re post mortem futura explicanda esse censent, amplectari dubitabimus. Sed accingamus jam ad verborum interpretationem grammaticam, num sententiam illi quam significavimus congruentem ferant, exploraturi!

Iobus postquam de amicorum et misericordia et justitia desperans hoc sibi esse in votis declaravit, ut verba, quibus innocentiam suam profiteatur, libro inscripta vel in saxis incisa in aeternam memoriam tradantur posteris, ut hi saltem, amicis aequiores, innocentiam suam agnoscant (v. 23.—24.), hunc in modum pergit:

ואני ידעתי גאלי חי  
ואחרון על-עפר יקום:  
ואחר עורי נקפו זאת  
ומבשרי אחזה אלוה:  
אשר אני אחזה-לי  
ועיני ראו ולא זר  
כלו כליותי בחקי:

Antequam in horum verborum cum iis quae antecedunt nexum, de quo interpretes, ut quisque in hanc illamve de totius loci indole inclinat sententiam, dissentiunt, inquiramus: de singulis agendum erit.

Qui in rem post mortem futuram prospici arbitrantur, v. 25. Iobum numinis vitam aeternam (חַי) suamque ipsius fugacem ita inter se opponere

1) cf. 13, 3 sqq.; 16, 19—17, 3.

2) 42, 5.

ajunt, ut Deum sibi post sua fata superstitem mansurum speret<sup>1)</sup>. Sed hoc temere contendunt. Nam ut sonant verba, „non tam Deo ut supremo numini<sup>6</sup> vitam vindicari, quam „hunc Deum ut Goëlem Iobi vivere i. e. patroni instar existere et efficaciam suam exhibere<sup>6</sup> affirmari apparet. Aliud idque firmissimum argumentum cum in verbis על-עפר positum esse contendant, facere non possumus, quin accuratius de iis exponamus.

Ad vocabulum עפר quod attinet, Boettcher<sup>2)</sup> recte monuit, quae hujus nominis ad nostrum locum afferri possint exempla, ita distinguenda esse, ut ע materia, ex qua humus constet, nominetur 1) ut stirpes alens, metalla habens Iob. 5, 6; 8, 19; 14, 8; 28, 2; Jes. 34, 7; 2) ut animantia ferens coelesti vi inferiora Iob. 41, 25; 3) ut rerum abjectarum viliumve domiciliorum locus Iob. 30, 6; 39, 14; Jes. 2, 19; Ps. 113, 7; 22, 30; 7, 6 et al.; 4) ut mortuorum cubile sepulchrale (cum שכב, נוח, ישן, שכן) Iob. 17, 16; 20, 11; 21, 26; Jes. 26, 19; Dan. 12, 2; 5) ut materia fragilis (pulvis), in quam animantium corpora vel dissolubilia Iob. 4, 19; Gen. 18, 27, vel dissoluta sint Iob. 10, 9; 34, 15; 7, 21; Gen. 3, 19; Ps. 22, 16; 30, 10; 104, 29; Eccl. 3, 20; 12, 7 (שוב על-ע) (ע' פְּוֹת, ע' וְאַפֵּר, שכב לֵע). Ex his quae nostro loco conveniat significatio, si quaesieris, interpretum alii quartam, alii quintam eligendam esse respondent. Sed utrique errant, propterea potissimum, quod verba illa cubandi, dormiendi, redeundi et quae sunt ejusdem generis ad constituendas illas significationes omnino necessaria, nostro loco prorsus desunt. Delitzsch pulverem, in quem Iobus brevi se redactum iri speret, significari ratus, ut suae interpretationi fidem faciat, verba illa, quae Ps. 30, 10 leguntur: הַיְיֹדֵד ע' affert; sed illic quoque invenitur, quod hic desideratur; antecedunt enim verba בְּרִדְתִּי אֶל-שָׁחַת, quae, quam in partem nomen ע' accipiendum sit, docent.

1) Ita Rosenmueller, Ewald, Vaihinger, Boettcher, alii.

2) cf. l. c. p. 165.

Hoc si recte diximus, nomen 'ע nunquam per se notionem cadaveris pulverei, nedum sepulcri sive tumuli <sup>1)</sup> habere, sed dumtaxat propter rerum et verborum contextum <sup>2)</sup>, nostro loco eam vindicare quam maxime dubitabis inque eorum sententiam inclinabis, qui per 'ע-ל, rerum terrenarum locum<sup>3)</sup>, ,rerum humanarum theatrum<sup>4)</sup> significari contendunt <sup>3)</sup>, quae vocabuli vis et ad יקום על accomodatissima videtur et loci 41, 25 firmissimo testimonio comprobatur. Boettcheri illam propterea rejiciendam esse dicentis argumenta, quod Dei, cui opponatur, quod coeleste non sit, nondum facta sit mentio ipsumque illud theatrum latius pateat quam pro re privata, non est quod pluribus refellamus verbis. Idem si hoc quoque illi obstare dicitur, quod in יקום nulla Dei demittentis se ad terram significatio insit, verbi יקום usum ex nomine גאל pendere respondemus, quocum aptissime convenit vindicis exurgentis intercedentisque <sup>4)</sup> imaginem delineans. Ut Boettcheri, ita etiam aliorum argumenta, ut illam quam proposuimus interpretationem deseramus, nos non adducent. Nam si verba 'ע-ל ad mortem spectare, vel inde apparere contendunt, quod Iobus se corpore vacuum Deum visurum esse v. 26. dicat <sup>5)</sup>, hoc argumentum perversa verborum אחר עורי et מבשרי explanatione nititur; sin vero illorum locorum habita ratione, ubi Iobus Dei, quocum expostulet, adventum et exoptet et speret, verisimile esse ajunt, loci nostri sententiam jam ultra et eo quidem progredi, ut Iobus se post ipsam mortem visurum esse Deum ut innocentiae suae testem expectet: sententiarum quendam progressum nos et ipsi postulamus, neque tamen

1) Ita Ewald aliique. Cf. quae contra hanc sententiam monuerunt Boettcher l. c., Stickel l. c. p. 87.

2) cf. Stickel l. c. p. 86 sqq.; *das B. Hiob* p. 162.

3) Ita Stickel, Hirzel, Hahn, Heiligstedt, alii.

4) cf. Dt. 19, 15; Ps. 27, 12; 35, 11; vid. etiam Ps. 12, 6; Jes. 33, 10 et Delitzsch l. c. p. 216.

5) Ita Delitzsch in Herzogii: *Realencycl.* VI, p. 126.

in eo illum quidem deprehendimus, quod jam ad spem vitae post mortem futurae animum tollat, imo omnes qui huc pertinent locos ita inter se cohaerere dicimus, ut Iobus, qui primum se timere Dei judicis adventum negavit (9, 35), dein, ut causam suam acturus adventet, optavit (13, 3 sqq.), tum esse in coelis innocentiae suae testem affirmavit eumque, ut ante mortem causam suam dirimat, rogavit (16, 19—17, 3), jam eo perveniat, ut illum testem coelestem esse causae suae patronum suaeque injuriae vindicem <sup>1)</sup>, eumque, ut causam suam agat suamque innocentiam declaret, apparituum esse firmiter persuasum habeat <sup>2)</sup>.<sup>6</sup>

Haec si recte disputavimus: qui hujus enunciati cum iis quae antecedunt sit nexus, jam apparebit. Etenim si Iobus, postquam ad posteritatis judicium confugit, divino patrocínio fretus pergít וְאֲנִי וְגַרְ, particulae ו vis adversativa <sup>3)</sup> tribuenda et v. 25. cum vv. 23.—24. ita conjungendus erit, ut Iobus hanc spem profiteatur, fore ut non demum post mortem, sed antequam vita decedat, jus suum adipiscatur Deo injuriae vindice, qui postremus (וְאֲחֵרֶיךָ <sup>4)</sup>) intercessurus sit.

Ad v. 26. quod attinet, alii אָחֵר in conjunctionis partem accipientes interpretantur <sup>5)</sup>: *Postquam cutem meam decusserint, hoc (futurum est) et ex carne mea conspiciam Dominum*; alii Iobum hoc dicentem faciunt: *Et post cutem meam, quam discussserint, postquam cutem meam discussserint* i. e. postquam cutis mea discussa erit h. e. cutis mea ab ossibus, quibus non firme adhaeret, penitus recesserit, *hocce, hancece cutem miserrimam,*

1) cf. Provv. 23, 11; Thren. 3, 58; Ps. 119, 154 et quae Delitzsch de verbo אָחֵר disputavit (*Das Buch Iob* p. 216).

2) cf. Heiligstedt l. c.

3) cf. Ex. 3, 19; Eccl. 2, 14; Ps. 13, 6; 31, 15. 23; 35, 13; 73, 2; Iob. 6, 26; 13, 13; 22, 18 et al.

4) cf. Jes. 44, 6; 48, 12.

5) Hanc sententiam Stickel in dissert. *de Goële* professus est; postea tamen (cf. *das B. Hiob* p. 163) deposuit. Cf. Gesen. *thes.* p. 71.

*Et sine carne mea*, postquam caro corporis mei prorsus contabuerit, ita ut vix ossibus haeream, *videbo Deum* <sup>1)</sup>; alii denique, et illi quidem, qui Iobum de re post mortem futura loqui censent, in hoc eum tempus prospicere ajunt, quo corporis hujus vinculis solutus Deum vindicem visurus sit <sup>2)</sup> (*post cutem* = amissa cute; מִבְּשָׂרִי = *sine carne*). Et nos quidem harum interpretationum nulli assentimur, neque illis, qui invita verborum collocatione <sup>3)</sup> אַחַר non praepositionem sed conjunctionem esse autumant, neque illis, qui per אַחַר עוֹרִי וְגו' et וּמִבְּשָׂרִי aut ,dissolutam morbo cutem<sup>4</sup> aut Iobi corpore vacui conditionem significari contendunt. Sed ad singula pergamus!

Qui אַחַר ut praeverbium temporis cum עוֹרִי jungentes cutis absumtae <sup>4)</sup> notionem verbis subjectam volunt, parum illi quidem reputarunt, quod Boettcher rectissime monuit, עוֹר, nec temporis nec facti nomen<sup>5</sup> esse. Sin vero, ut suae interpretationi fidem faciant, adducunt illud אַחֲרָיו *post ipsum* (mortuum) Iob. 21, 21; אַחַר אִמּוֹ *post matrem suam* (mortuam) Gen. 24, 67: haec propter adjuncta vocabula (בִּירוֹ, וַיִּנַּחֵם) commodius dici potuisse nemo non videt, cum nostro loco, si praepositionem אַ ad tempus retuleris, aspera evadat oratio atque coacta <sup>5)</sup>. Quam constructionis duritiem remoturus Boettcher verba עַ אַ cum אַחֲרָיו conjungens Iobum hoc dicere ait, se post cutem suam (sc. aspectam) i. e. quum cutis suae aspectum, miserabilem illum quidem horribilemque, non amplius habiturus

1) Ita Heiligstedt aliique.

2) Hanc in sententiam disputarunt Ewald, Delitzsch, alii.

3) cf. Del. in Herz. *Realenc.* VI, p. 126.

4) cf. Saadiae versionem, qui אַחַר עוֹרִי interpretatur per *بعد بلى جلدى*, hebr. אַחַר בְּלוֹת עוֹרִי *postquam absumpta erit cutis mea*. Cf. de iis, quae Saadia, Aben Esra, Ralbag de nostro loco disputarunt, Stickel *de Goële* p. 31 sqq. Saadia et Aben Esra גְּאֵלִי ad omnes homines referunt his in terris oriundos et Iobi causam acturos, Ralbag ipsum Deum pro vindice habet.

5) cf. Boettcher l. c. 166.

sit, gavisurum aspectu Dei. Sed hanc Boettcheri interpretationem sententiarum nexui non esse consentaneam Hahn <sup>1)</sup> demonstravit. Jam vero si hae interpretationes rejiciendae, quid aliud relinquitur, quam ut in eorum transeamus partes, qui אָחַר pro praeverbio non temporis sed loci <sup>2)</sup> accipientes Iobum hoc dicentem faciunt, se *pone cutem suam* i. e. sua circumdatum cute Deum visurum esse. Sed quid sibi volunt verba נִקְפוּ זֵאת? Hofmann <sup>3)</sup> נִקְפוּ non verbum sed nomen esse ratus (נִקְפוּ = נִקְפוּתָהּ, cujus litera ת ante י evanuerit) cutem describi ait, ut quae corpus humanum tenaci complexu teneat (cf. Hofmanni versionem: *Und hinter meiner Haut, dieser Umspannung*). Hanc vocabuli vim probaturus Hofmann locum Jes. 3, 24 affert, ubi נִקְפוּתָהּ cingulum significet astrictè corpori circumligatum. Ingeniosa sane interpretatio sed speciosa potius quam vera! Nam ut cetera mittamus: Hofmann esse posse in lingua hebraica nomen נִקְפוּתָהּ, cujus significatio cum נִקְפוּתָהּ, forma cum עֲקֻשׁוּתָהּ conveniat, non satis demonstravit. Etenim si illud נִקְפוּתָהּ componendum est cum נִקְפוּתָהּ, hoc a quonam verbo descendat, quaeritur. Si — id quod mihi quidem verisimillimum videtur — a verbo קָוָה = קָוָה (contorquere) <sup>4)</sup>, formam עֲקֻשׁוּתָהּ cum Hofmanno comparare dubitabis, ab adjectivo עֲקֻשׁוּתָהּ illam quidem derivandam <sup>5)</sup>; si a verbo נִקְפוּתָהּ, illam quam Hofmann vult significationem vix ac ne vix quidem elicies.

1) cf. *Comm. üb. d. B. Hiob* p. 166: *H. will keineswegs blos dies sagen, dass er überhaupt Gott sehen werde, sondern dass er ihn sehen werde nicht als Feind. Kommt es aber nicht auf das Sehen an sich an, sondern auf die Bestimmtheit des gesehenen Objekts, so kann den Gegensatz zum Sehen auch nicht das Nichtsehen als solches bilden, sondern das Nichtsehen des Objects in der gewissen Bestimmtheit. Unmöglich kann also das Nichtsehen seiner Haut dem Sehen Gottes gegenüberstehen.*

2) cf. Cant. 2, 9 אָחַר כְּתִלְנִי; Jes. 57, 8: א' הַדְלָהּ et al.

3) cf. l. c. p. 504.

4) cf. quae Delitzsch et Knobel in suis commentariis ad l. Jes. 3, 4 disputarunt.

5) cf. Ewaldi librum: *Ausf. Lehrbuch d. hebr. Sprache* p. 427.



Rectissime interpretum plerique נִקְפוּ a verbo נִקַּף (cognat. cum נָגַף) derivant, cujus *Piel* significationes *decutiendi* (Jes. 17, 6), *caedendi* (Jes. 10, 34) habet. Pluralem verbi autem cave cum Boettchero ad amicos referas calumniis conviciisque Iobum discruciantes enecantesque, imo usum ejus impersonalem statuas (cf. 4, 19) inde explicandum, quod Iobus mala intelligit irruentia hostiumque infensorum instar corpus dilacerantia (cf. 19, 12). Quod denique ad rationem grammaticam attinet, quae verbo 'נ' cum 'א' ע' intercedit, in enunciati relativi<sup>1)</sup> partem illud quidem accipientes interpretamur: *Et pone cutem meam, quam decusserunt.*

Sed nova statim emergit difficultas. Quaeritur enim, pronomen זָאָרָה quid sibi velit et quonam referendum sit? Illorum opinioni, qui זָאָרָה ad עוֹרָיָא referentes interpretantur: *hanc cutem meam*, non solum verborum obstat collocatio, verum etiam hoc, quod nomen עוֹרָיָא generis masculini est. Alii זָאָרָה objectum verbi 'נ' esse rati Iobum digito quasi monstrasse ajunt corpus suum dira morbi vehementia dilaniatum. Sed haec quoque interpretatio artificiosior atque coactor est quam quae cuiquam arridere possit. Stickel<sup>2)</sup> Chaldaicum<sup>3)</sup> secutus זָאָרָה pro sui juris enunciato, cujus omissum verbum sit, habens totius loci sententiam esse hanc contendit: *Ich weiss, mein Retter lebt, u. endlich wird er auf dem Staube stehen und das, wann meine Haut zerschlagen ist.* Hanc interpretationem licet Stickel jam non tueatur<sup>4)</sup>, tamen eam defendi posse etiam nunc dicitur Arabum maxime innixus loquendi usu. At magnopere errat. Etenim in lingua arabica eum quem Stickel statuit sensum neutiquam exprimeres: **وَبَعْدَ** **وَذَلِكَ بَعْدَ بِلَى جِلْدِي**, sed mutato verborum ordine: **بِلَى جِلْدِي** **وَذَلِكَ بَعْدَ**,

1) cf. Delitzsch ad. h. l.

2) cf. *de Goële* p. 105.

3) Chaldaeus habet: **וּמִן בְּחַר דְּאַתְפַּח מִשְׁכִּי קָהִי דָא** *et postquam convaleuit cutis mea, fiet hoc.* Cf. Gesen. *thes.* p. 912. Similiter L. de Dieu (*crit. sacr.* p. 118) et Kosegarten.

4) cf. *Das Buch Hiob* p. 166.

id quod omnia illa quae Stickel affert probant exempla <sup>1)</sup>. Jam cum et haec Stickelii et illorum opiniones improbandae videantur, qui זָאָר aut cum עוֹרֵי jungunt aut pro objecto verbi נ' habent, cum illis facimus, qui in adverbii partem illud accipiunt verbo נִקְפוּ additum <sup>2)</sup>. Qui pronominis usus quamvis, id quod lubenter concedo, certis exemplis probari nequeat — nam quae ab interpretibus adduci solent, huc non pertinent —, tamen cur ,ferri' non possit, equidem non video. Sic igitur verba de quibus agimus reddenda videntur: *Et pone cutem meam, quam decusserunt hunc in modum.*

Qui verbis אָחַר עוֹרֵי aut dissolutae morbo cutis aut ipsius mortis notionem subjectam esse volunt, praepositioni מִן in מבשרי vim ,privativam' quam vocant tribuunt, qua innixi alii Iobum expectare ajunt, se vel ad compagem ossium, carne spoliatorum, redactum Deum visurum, alii hoc eum dicentem faciunt, se corpore prorsus solutum numinis gavisurum aspectu. Perperam illud quidem utrumque, ut mihi videtur. Nam praeterquam quod, quin illi loci, quos ad probandam illam significationem attulerunt, cum nostro comparari possint, dubitarim equidem, propterea potissimum, quod ubique adjectum aliquod vides, aut substantivum aut verbum, in quo *recedendi, liberandi, privandi* inest notio <sup>3)</sup>, cujus generis

1) cf. Koseg. *Chrest. arab.* p. 92: Non fuit femina inter mulieres Fesaritarum, quam non studio et veneratione maxima prosecutus est; **وَذَلِكَ** et hoc (factum est), postquam absolvit etc.; et ibid. p. 93: Non habuit quod diceret; **هَذَا** hoc (factum est), postquam surrexit Ebla introeunte Antaro; *Kor. Sur.* 2, 276: Qui fenore fruuntur, non in vitam redibunt, nisi instar illius, quem percussit Satanas, **ذَلِكَ بِأَنَّهُمْ قَالُوا** hoc (fit), propterea quod dicunt etc. Eandem pronominis collocationem invenis *Kor. Sur.* 2, 58; 3, 23.

2) Ita Stickel l. c., Hahn, Delitzsch, alii.

3) Apparet locorum Iob. 11, 15 (חֵשָׂא פִּנְיָךְ מִמוֹם), 21, 9 (כְּתוּהֶם שְׁלוֹם מִפָּחַד), II. Sam. 1, 22 (עֲמְדוּ מִכּוּחַ נְסִים), *Prov.* 20, 3 (כְּבוֹד לְאִישׁ שֶׁבֶת מְרִיב) longe aliam atque nostri rationem

vocabulum nostro loco nullum est: si אָרר in 'ע א' praepositionem non temporis sed loci esse recte diximus, facere non possumus quin praepositionem מִן in מִבְּשָׂרִי in eandem partem accipiamus Iobum hanc contententes profiteri spem, fore ut *ex carne sua* adhuc superstite Deum videat.

Paucis ut complectamur eorum quae de loco celeberrimo disputavimus summam: Iobus, postquam esse causae suae patronum, qui postremus intercessurus sit, v. 25. affirmavit: se diem non obiturum, priusquam ejus patrociniū expertus sit, v. 26. ita asseverat, ut hac sua circumdatum cute, dira morbi vehementia quantumvis dilaniata, et hac ex carne adhuc superstite se visurum esse Deum dictitet. Qui qualis erga ipsum futurus sit, jam v. 27. docet, se hisce corporis sui oculis eum spectaturum ut sibi faventem (לִי) ac propitium (וְלֹא יָרָ) <sup>1)</sup> declarans.

Sed non est quod amplius in explanando hoc loco, decantatissimo<sup>6</sup> versemur, cum demonstrasse nobis videamur, eorum interpretationem, qui Iobi verba de re post mortem futura explicanda esse censent, firmo quonitatur carere fundamento. Quod si ita sese habet, Ewaldi hoc in componendo carmine poetam spectasse dicentis opinio, ut mortales, nisi cognita animi immortalitate, vitae hujus malis impares esse ostenderet, et ipsa improbanda erit. Rectissime Hahn illam cognitionem, ut a totius libri indole abhorreat, ita loco 19, 25.—27. contineri negat. Sed fac eam contineri: si uno illo loco ex Iobi emergit querelis, summam libri sententiam in ea ponendam esse quis est qui contendere ausit?

Priusquam, unde huc degressi sumus, eo reversi reliquorum interpretum de ea quam tractamus quaestione examinabimus opiniones: quid

---

esse. Propius ad similitudinem nostri loci accedunt Num. 15, 24 (אם מעיני העדה נעשתה וגו') et Gen. 27, 39 (משמני הארץ יהיה מושבך ומטל השמים מעל). Sed ne ex his quidem locis de nostro conjecturam fecerim.

1) cf. quae Hahn et Hofmann ll. cc. de hoc loco disputarunt; v. etiam Dath. Gesen. Umbr.

ex iis, quae a nobis de loco 19, 25.—27. disputata sunt, ad illam dirimendam redundet, exploremus! Qua in re iis nitimur, quae de Iobi conditione praemonuimus, ita illa quidem comparata, ut fieri non potuerit, quin summo divini patrocinii ante ipsam mortem impetrandi desiderio afficeretur. Jam cum illud desiderium cum alibi tum loco 19, 25.—27. exprimi totiusque poematis fabulam ad eum exitum perduci videamus, ut Deus Iobo appareat, qui voti jam compos animi recuperat tranquillitatem: nonne in Dei adventu <sup>1)</sup> totius libri versari cardinem dicentes poetae sententiam assequemur? Sed ad propositum redeamus!

Illi interpretes, quorum opiniones examinandae restant, ad unum omnes hoc carminis auctori propositum fuisse ajunt, ut de causis malorum, quae hominibus probis infligerentur, quaestionem institueret. Et Delitzsch quidem, novissimus libri interpret idemque sagacissimus hujus sententiae defensor, si totius fabulae exitus, ubi Deus Iobi qui fidem ipsi servavit causam agat, habeatur ratio, hoc doceri contendit, esse hominum proborum mala, quorum non a Dei ira, imo amore repetendae causae sint. Neque tamen hanc doctrinam ad solvendam quaestionem a poeta propositam sufficere; etenim tantum abesse ut in ea acquiescant legentium animi, ut iterum iterumque, quare malis opus sit, quibus probi ad veram felicitatem gloriamque perducantur, interrogent. Et ad hanc quidem quaestionem, si universum librum spectes, responderi, mala iis injungi, 1) ut castigentur et peccatorum purgentur labe; 2) ut exploretur comprobeturque pietas. Hac fabulâ, si orationes Elihui exceperis, illud his doceri. Si verum quaeras, eo potissimum consilio Iobum malis vexari, ut pietatis contra Satanae impetus tenax hunc

---

1) cf. Schlottm. l. c. p. 63: *Nach der ganzen Anlage des Buchs ist die Erscheinung Jehovas als Thatsache das, worauf Alles ankommt. Die Offenbarung des göttl. Wesens nicht als Lehre, sondern als That ist die Hauptsache.*

superet <sup>1)</sup>. In eandem similemve sententiam praeter Del. disputarunt Welte, Vaihinger, Gerlach, Hengstenberg, Bleek, alii. Sed valde dubitarim equidem, quin recte dicat Del. libri cardinem in prologo versari poetamque hoc agere contendens, ut, cur probissimus quisque malis tentetur, doceat. Etenim hoc si statuitur, est quod mireris, quod Iobo ipsi occulta tenebrisque involuta malorum indoles ne verbo quidem aperitur. Nam divinae orationes nihil lucis iis afferunt, hoc unum illae quidem spectantes, ut Iobum frangant et arrogantiae convincant illis quae contra divinam rerum administrationem jactarat conspicuae. Utque totius fabulae exitu doceri concedam, mala, quibus probi homines conflictentur, ex Dei amore proficisci eademque viam munire ad veram felicitatem consequendam: si — id quod Del. disertis verbis monet — haec doctrina ea non est in qua mens acquiescat, Iobumne inde solatium hausisse? Quem cum postremo tranquillari videamus, quamvis verae calamitatum rationis ignarum, id potissimum poetae propositum fuisse, ut de malorum quae piis acciderent causis quaestionem institueret, contendere dubito. Huc accedit, quod, hoc si poeta spectasset, ut probi hominis cum Satana conflictantis victoriam ostenderet, Satanus non solum in prologo, sed etiam in epilogo in scenam producendus fuit<sup>2)</sup>, illic accusatoris victoriae spe elati, hic victi superatique personam sustinens.

Sed quale tandem poetae in componendo carmine consilium fuit? Quod interpretum de hac quaestione disputationes adeo a vero aberrarunt, ejus rei causa haud scio an inde repetenda sit, quod, cum praepere omnem vim vel prologo vel epilogo vel amicorum vel ipsius Dei orationibus tribuerent, ipsam illius qui primas in fabula agit partes

1) cf. l. c. p. 21: *Das Leiden Iobs hat zunächst den Zweck, dass Iob sich dem Satan gegenüber bewähre, um diesen zu überwinden und es gewinnt, indem Iob sich nicht ohne Versündigung bewährt, zugleich den Zweck, ihn zu reinigen und zu vollenden.*

2) cf. Fries l. c. p. 800.

personam parum respexerunt. Quod si fecissent, rectius sine dubio de poetae consilio judicassent. Et mihi quidem iterum iterumque librum perlegenti verisimillimum videtur, carminis auctorem Iobi exemplo ostendere voluisse, hominis vitae hujus ambagibus vexati animum ad veram pacem tranquillitatemque non posse pervenire, nisi ipse Deus se ei patefecerit <sup>1)</sup>. Quo posito et concesso si argumentum libri perlustrans ad Eliphasi, Zophari, Bildadi cum Iobo concertationem advertis animum, hunc rerum humanarum dubiam obscuramque qua cruciatur rationem tenere vides contra vanos amicorum ostentatis divinae justitiae legibus illam aperientium conatus. Sed quae orationum quae Elihuo tribuuntur ratio est? Constat acerrimum de iis inter viros doctos exarsisse certamen, aliis eas ab ipso carminis auctore compositas <sup>2)</sup>, aliis aliena manu insertas esse <sup>3)</sup> dictitantibus. Et Del. quidem hanc libri partem suppositiciam esse ex hoc ipso apparere ait, quod, quae ea contineantur, parum convenient cum argumento et prologi et epilogi. Elihuum adeo non intervenientis tueri personam, ut ne verbo quidem justam Iobi contra amicorum commenta causam agat. Quaecumque jactitet, abhorrere illa quidem a poetae in componendo carmine consilio. Hunc enim ostendere velle, mala non ob peccata commissa, sed ea mente Iobo injungi, ut comprobetur ejus pietas; Elihuo autem Iobum in calamitates adductum

1) cf. *Dorpater Ztschr. f. Theol. u. Kirche* VI, p. 390 sqq.

2) Ita Jahn (*Einl.* II. p. 776), Staeudlin, Bertholdt, Gesenius (*Geschichte d. hebr. Spr. u. Schr.* p. 34), Schaerer, Rosenmueller, Umbreit, B. Bauer, Steudel, Welte, Vaihinger, Gerlach, Stickel, Herbst, Gleiss, Haevernick, Hengstenberg, Hahn, Schlottmann, Kosegarten (*Allgem. Monatsschr. für Wissenschaft u. Literatur* 1853. p. 764 sq.), Keil, Staehelin, alii.

3) In hanc sententiam disputarunt Stuhlmann, Bernstein, Eichhorn, Knobel, Ewald, v. Coelln, Hirzel, Meier (*Theol. Jahrb.* ed. Zeller III, 1844 p. 366 sqq.), de Wette, Heiligstedt, Bunsen (*Gott in der Gesch.* I. p. 477 sqq.), Simson, Bleek, Delitzsch, Oehler (?), Noeldeke (*Die alttestamentl. Literatur* p. 193 sqq.), alii.

videri, ut castigetur peccatisque purgetur. Quare statuendum esse, posterioris aetatis poetarum aliquem has orationes inseruisse, quibus non solum, quae in Iobi verbis querelisque modum excederent, quodammodo temperaret, verum etiam, quae amici recte dicerent, ante oculos poneret. Missis Elihui verbis cum liber Iobi hoc doceat, quod Paulus apostolus in *ep. ad Rom.* 8, 1 (οὐδὲν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ) asseveret, hunc alium poetam illud quoque addidisse, quod in *ep. ad Cor.* I, 11, 32 legatur: κρινόμενοι ὑπὸ τοῦ κυρίου παιδευόμεθα, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν<sup>1)</sup>.

Ita fere Del., haud paucos, ut dixi, nostrae aetatis secutus interpretum, quorum nonnulli eo usque procedunt, ut orationes Elihuanas, quippe quibus eadem, quae reliquis locis disputatione satis copiosa conterantur, partim repetantur, partim praeoccupentur, ‚supervacaneas‘ dicere non dubitent<sup>2)</sup>. Et nobis quidem, postquam omnia quae nostris diebus

1) Reliqua argumenta, quibus interpretes orationes Elihuanas a libri Iobi auctore non compositas esse demonstrare studuerunt, invenis apud Heiligst. l. c. p. 217 sq. Quod ad dicendi genus attinet, quo hae orationes a ceteris poematis partibus differre dicuntur, ‚sermonis aramaici indole imbutum‘ nec non ‚peculiaribus vocibus, vocum formis, locutionibus‘ insignitum, v. quae Delitzsch in Herzogii: *Realenc.* VI, p. 118 disputavit: *Dass der Abschnitt (Elihu) eine jüngere Sprachzeit verrathe, lässt sich nicht beweisen, denn dass einiges ihm Eigenthümliche mit den jüngsten Büchern des Kanons zusammentrifft, reicht dazu nicht aus. Auch lässt sich die starke aramäische Färbung nicht für Verschiedenheit des Verf. geltend machen, da auch das übrige Buch aramaisirt.* Vocum autem ‚peculiarium‘ numerus adeo exiguus est (cf. Keil l. c. p. 370), ut iis nixus orationes a carminis auctore abjudicare vix queas. Si denique premunt, has orationes tum in sententiis, tum in sermonis genere non tantam perspicuitatem, quantam reliquas libri partes, habere; sermonis genus languidum ac verbosum esse; locos ibi inveniri, qui aliis locis reliquarum libri partium similes sint, sed ad hanc similitudinem ita expressi, ut eos non ab eodem auctore, a quo illi loci scripti sint, sed ab alio illos locos repetente et imitante profectos esse pateat; Elihuum neque in prologo neque in epilogo commemorari; Elihuum solum Iobum nomine affari —, haec quoque argumenta facile refutaris. Cf. Haevernick l. c. p. 374. 376 sq.; Schlottmann l. c. p. 61 sq.; Stickel (*das B. Hiob* p. 248 sqq.). V. etiam Pareau, *comm. de immort. notitiis* p. 195 et Bouillier, *observatt. miscell. in l. Iob.* (Amstel. 1758) p. 415 sq.

2) cf. Knobel l. c. p. 41.

in utramque partem disputata sunt, diligenter examinavimus, multa de hac controversia afferre in promptu est; sed ne longiores simus, summas tantummodo attingamus, hoc ante omnia quaerentes, rectene dicant interpretes Elihuum, eandem cum Eliphaso ejusque sociis cantilenam canere<sup>6</sup> contententes!

Ut brevi praecidamus: hoc qui contendunt, temere judicant. Verum quidem est, Elihui sententiam in hoc congruere cum amicorum dictis, quod et ipse calamitates cum humana vitiositate cohaerere ait; at hoc maxime interest, quod illi, etiam si malorum non cum certis peccatis, sed innata omnibus pravitate necessitudinem statuunt, tamen constanter ea in poenarum loco numerant, mortalibus, ut superbiâ desueti divinam gratiam recuperare possint, solvendarum; Elihu autem malorum causam a Dei caritate repetit hoc spectantis, ut ad occultam labem hominis animum advertat itaque ex interitu eripiat<sup>1)</sup>. Recte hoc quidem perspexit Del., sed hac ipsa Elihui de malorum causis fretus opinione orationes ejus a poeta, ut supra ostendi, abjudicandas esse censet. Quam cur ferat de orationibus Elihuanis vir doctissimus sententiam, facile potest intelligi. Etenim si quis libri cardinem in prologo versari ratus auctorem hoc spectasse sibi persuasit, ut quaestione de causis malorum, quae pro-  
bis acciderent, institutâ ea comprobandae pietatis gratia injungi ostenderet, facillime adducitur<sup>2)</sup>, ut illas orationes, quippe quae vitae hujus

---

1) cf. cap. XXXIII et Oehler (*Die Grundzüge der alttest. Weisheit* p. 26): *Mit den Dreien hat Elihu den Satz gemein, dass alles Leiden eine Beziehung zu der menschl. Sündhaftigkeit hat; aber der wesentl. Unterschied ist, dass die Drei das Leiden, auch wenn sie es mit der menschl. Sündhaftigkeit überhaupt in Zusammenhang setzen, doch immer unter den Gesichtspunkt der Strafe stellen, wogegen Elihu das Leiden aus dem göttl. Liebeswillen erklärt, der durch die Trübsal, die er sendet, den Menschen auf einen verborgenen Bann des Herzens hinführen u. so erretten will.* Cf. Gleiss l. c. p. 29.

2) cf. Riehm (*Ztschr. für luth. Theol.* 1866 p. 307).



mala in remediis perversitatis potius ponant, suppositicias et a posterioris aetatis poetarum aliquo, qui, quae in poemate deesse ipsi visa sint, supplere eoque illud integrum et perfectum reddere studuerit, insertas <sup>1)</sup> esse credat. Sed aliam prorsus rei rationem deprehendes, si Dei Iobo apparentis adventui vim quandam ac pondus tribueris nostramque quam supra significavimus de poetae consilio sententiam asciveris. Nam hoc facere si non recusabis, orationes Elihuanas suum in carmine tenere locum facile concedas. Quod ut demonstramus, uberius de iis exponamus!

Iobus cum amicis concertans in tribus potissimum peccavit, primum quod justo violentius Dei adventum expetivit, dein quod divinam justitiam his in terris cerni manifestam audacius negavit, denique quod divinam potentiam et bonitatem inter se discordare atque dissidere dictitavit. Jam si, postquam conticuerunt amici ab Iobo repulsi, quartus orator exorsus Iobum monet, Deum etiam in malis quae divinitus accidunt, homini patefieri et ea quidem mente, ut superbiâ eum absterreat; si divinorum consiliorum in gubernandis rebus humanis rationes nequaquam eum latere asseverat, qui, quid vitae calamitates ad reprimendos spiritus et sedandam arrogantiam valeant, meminerit; si denique Deum rerum omnium praepotentem neminem aspernari ait, imo ad mortales descendere magistri instar amantissimi, qui vel mala irrogans eorum saluti prospiciat <sup>2)</sup>: hae admonitiones non vereor ne tibi ‚supervacanae‘ videantur, Iobum in concertando vehementius efferbuisse tantosque sibi spiritus sumsisse, ut humanae humilitatis oblitus divinam rerum humanarum administrationem reprehendere non dubitaret, consideranti. Sed fortasse quispiam non hoc quaeri dixerit, rectane sint quae Elihu Iobum moneat, sed cum ipso carminis consilio quid eis intercedat rationis? Quod interroganti facile re-

1) cf. Oehler l. c. p. 27 et Heiligst. l. c. p. 218.

2) cf. Schlottm. l. c. p. 56 sqq.

spondebis nostra de libri argumento nixus sententia. Vides hominem probum bonumque obscurâ atque perplexâ rerum humanarum ratione vexatum et fere ad desperationem adductum. Adventant amici qui vulgarem de Dei justitia ultrice opinionem commendantes occulta aperire afflictumque tranquillare student. Sed labores in irritum cadunt; repulsi obmutescunt. Novus existit orator, cui et Iobi arrogantiam nimiamque sui fiduciam carpenti et immotam Dei vel mala irrogantis caritatem praedictanti contingit, ut ejus linguam retundat. Sunt quidem, qui Iobum post Elihui verba propterea tacere dicant, quod eum non dignum aestimet, quocum sermonem conferat <sup>1)</sup>, cum alii et illi quidem, quibus orationes Elihuanae suppositiciae videntur, id ipsum, quod Iobus non respondeat, poematis rationi repugnare contendat, secundum quam Iobus in certamine omnes adversarios humanos vincat a Deo solo superandus <sup>2)</sup>. Sed errant utriusque opinionum scilicet capti commentis. Ut mihi quidem videtur, ex ipsa poetae sententia Iobus Elihui admonitionibus convictus perturbatusque conticescere existimandus est: id quod haud scio an iis verbis significare <sup>3)</sup> voluerit, quae extremae orationi Iobi (cap. 31) subscripsit: רַבְּרִי אִיּוֹב אל-אלוה רלפה עיני. Neque tamen, si jam silet Iobus, idcirco conquievit animus, qui, ut tranquillitatem recuperet, medicinae indiget eâ, quae humanâ doctrinâ quantumvis perfectâ praebetur, valentioris. Quo desiderio accensus Iobus illud

אל-אלוה רלפה עיני

(16, 20) exclamavit, eodem etiam post Elihui verba tenetur, neque qui attente librum hucusque perlegerit, aliter affectus animo erit.

1) Ita Schaerer et Umbreit.

2) Ita Heiligst. l. c. p. 218.

3) cf. Hengstenberg l. c. p. 183. Illi interpretes, qui orationes Elihuanas suppositicias esse existimant, verba illa non a poeta ipso profecta, sed addita esse contendunt, postquam Elihui orationes insertae fuerint.

Causa hunc in modum instituta יהוה apparet Iobumque alloquitur. Qui Elihui verbis „Dei partes praeoccupari“ ejusque orationem „antici-  
pari“ dicunt <sup>1)</sup>, parum illi quidem reputarunt, quod supra demonstravimus, totius fabulae cardinem non tam in praecepto aliquo divinitus tradendo versari quam in ipso Dei adventu <sup>2)</sup>. Quod Deus Iobo se ostendit, eo omnia redeunt. Nonne eum, qui in obscura rerum humanarum ratione ingemuerat nihil consolationis admittens, jam in Dei praesentia acquiescere vides? Quamvis verae calamitatis causae ignarus malisque usque obnoxius sit, nihilosecius tranquillo animo et quieto est, Deum, quem antea auditione tantum et fama cognovit (לשמע און שמעתיך), suis conspicatus oculis (עתה עיני ראתך).

Sed Deus Iobo non solum sese ostendit, verum etiam verba ad eum facit. Ad quae si advertes animum, nihil novi iis doceri, sed quid aliud quam divinam majestatem sublimitatemque patefieri atque explicari intelliges, quo efficitur, ut, qui antea divinam rerum administrationem arrogantius vituperavit, jam cum magno suo pudore culpam confiteatur.

Haec si recte a nobis disputata sunt, eorum opinionem, qui Dei orationes nihil aliud agere perhibent, quam ut Elihui verba confirment comprobentque <sup>3)</sup>, falsam esse apparet. Quicumque totius fabulae progressum et exitum accuratius considerarit: poetam in ea disponenda ita versatum esse, ut ad Dei adventum omnia referret, facile concedet. Quod ut tibi persuadeas, refer, sis, animum ad haec. Iobus malorum mole obrutus falsisque amicorum criminationibus circumventus eo adducitur, ut Deum spectare aveat. Quod desiderium ipsum non est quod reprehendas; sed cum ei magis magisque ferociae quidpiam admisceatur, in vi-

1) Ita Knobel, de Wette, Ewald.

2) cf. Schlottm. l. c.

3) Ita A. Schultens, Staeudlin, alii.

tuperationem Elihui incurrit arrogantiam recte perstringentis neque cuiquam mortalium licere dictitantis, Dei adventum violenter exoptare vel adeo suo jure expetere. Ad quae silet Iobus conscientiam convictus, etsi non tranquillatus. Jam vero, ut Deus apparet, non solum culpam fatetur ingenuae, sed etiam voti se esse compotem declarat laetabundus. Utrumque, et laetitiam ex gratiosa Dei praesentia oriundam et dolorem ex arrogantiae recordatione conceptum, iis eloquitur verbis, quae divina oratione audita exclamat (42, 2—6):

*Novi te omnia valere  
Nec esse consilium, quod exequi nequeas.  
,Quis ille, qui obscurat consilium  
Sine intelligentia.<sup>6</sup>  
Propterea judicavi neque intelligebam,  
Mirabilia mihi neque cognoscebam.  
Audi, quaeso, et loquar,  
Interrogabo te et doce me.  
Auditione de te audiveram,  
Nunc autem oculus meus vidit te.  
Idcirco doleo et poenitentiam ago  
Super pulvere et cinere.*

Sic in Dei adventu Iobum acquiescere vides. Quantumcunque incompertum habet, quantiscunque malis laborat: Deum conspiciatus divinique amoris certus animo quieto et pacato est <sup>1)</sup>. Quis est quin meminerit illius ,Tu nos fecisti ad te et cor nostrum inquietum est, donec requiescat in te<sup>6</sup>?

---

1) cf. Schlottm. l. c. p. 64: *So findet erst in der höchsten innigen Vereinigung mit Gott auch das ganze Gedicht mit allem Sehnen, das es angeregt, mit allem Schmerz, den es aufgedeckt, mit allen Räthseln, die es geknüpft hat, sein Ziel u. seine Erfüllung.*

Sed nondum omnia quae huc faciunt pertractavimus. Restat enim, ut de re gravissima et quae plurimum momenti ad quaestionem propositam afferre videatur, disseramus.

Ut carminis nostri auctorem Israelitam esse inter omnes nostrae aetatis constat interpretes, ita non dubium est, quin Iobum ipsum ejusque socios pro peregrinis habitos velit: id quod cum ex eo, quod duobus locis exceptis <sup>1)</sup> Deum ubique vel אֱלֹהִים vel אֱלֹהִים vel שְׁרֵי nuncupant, tum inde cognoveris, quod nullam in eorum orationibus deprehendis legis Mosaicae, caerimoniarum, morum, rerum Israeliticarum significationem. Jam si hoc tenes, poetam, natione Israelitam, primas in fabula partes assignasse homini peregrino et a populi Israelitici sacris alieno, facile adduceres, ut illum sese ab hujus persona quodammodo distinxisse credas <sup>2)</sup>. Cujus rei testimonium etiam hoc est, quod, quae Iobum ejusque amicos torquent difficultates, eas Israelitae animum aequae sollicitasse veri dissimillimum <sup>3)</sup>. Quod si ita sese habet, poeta haud scio an id egerit, ut missâ, qua ut Israelita praeditus fuit, rerum divinarum cognitione, quantum mortales suis ipsorum viribus, suâ sapientiâ, suâ pietate valerent ad tolerandas vitae hujus ambages, luculento exemplo demonstraret <sup>4)</sup>. Hoc spectans hominem in scenam producit peregrinum,

1) cf. 1, 21; 12, 9 et Del. l. c. p. 6.

2) Ita recte Eichhorn (*Einl.* V, p. 190).

3) Quod contra Knobelium moneo, qui Iobum a poeta ubique fingi contendit talem, qui cogitando, sentiendo, loquendo prorsus cum Hebraeis concinat.

4) cf. Klostermann (*Die Hoffnung künftiger Erlösung u. s. f.* p. 17): *Da der Dichter eine solche Kraft der Abstraction von den eigenen Lebensverhältnissen in der Zeichnung der Eigenart Iobs u. seiner Freunde an den Tag gelegt hat, dass wir einer Kenntniss des israelitischen Volkslebens gar nicht bedürfen, um sie zu verstehen, so kann es ja seine Absicht gewesen sein, unter Abstraction von der im religiösen Selbstbewusstsein des Israeliten vorhandenen Lösung an seinem Helden zu zeigen, wie weit der Mensch mit seiner eigenen Anstrengung im Stande sei, das Problem zu lösen, das jenem das Herz abdrückt.*

sed eum a veri Dei cultu non prorsus alienum, imo quadam ejus cognitione imbutum (42, 5) vitaeque ad divinae voluntatis normam conformandae studiosissimum. Is malis praeter opinionem circumventus consilii inops in maximas angustias adducitur. Tres amici rem expedire student, sed operam perdunt. Quartus aliâ atque illi ingressus ratione suâ doctrinâ hoc saltem efficit, ut Iobi spiritus reprimat. Sed quam desiderat afflictus animi tranquillitatem, eam restituere ne is quidem potest. Jam, postquam homines tentarunt, quid possent, Deus apparet isque יהוה (38, 1), Deus salutis et gratiae, qualem populo Israelitico sese patefecit. Cujus adventu si Iobum placidum quietumque reddi vides, nonne poeta hoc fabulae exitu ostendere voluisse existimandus est, eâ qua populus Israeliticus fruatur numinis praesentiâ vires confirmari ad tolerandam rerum humanarum obscuram perplexamque rationem, in qua perferenda mortales divino auxilio destituti frustra laborent?

Suâ igitur rerum cognitione divinitus impertitâ poetam ea ponderare dico, quae Iobum ejusque amicos suis commentis metientes facit. E recentioribus Klostermann eandem sententiam amplexus Ps. LXXIII affert. Recte hoc quidem, ut mihi videtur; nam illic inveniuntur, quae comparari possunt. Etenim vates, cum improbos prosperrima rerum conditione uti, rebus adversis conflictari pios videret, non multum abfuisse asseverat quin a recta via defleceret Deumque desereret (v. 2—12). Sed resedissem mentem meliora edoctam, ubi confugerit אל-מקדשי אל וגו' (v. 17). Hanc locutionem qui ita explicant, ut precationem significari dicant, quam vates templum ingressus fecerit <sup>1)</sup>, vim verbis faciunt. Multo propius ad poetae voluntatem ii accedere videntur, qui arcana Dei consilia <sup>2)</sup> intelligi volunt, in quae vates rerum humanarum ambagibus vexatus penetrare

1) Ita Rosenmueller, Delitzsch, alii.

2) Ita Olshausen, Fuerst, alii.

voluerit. Sed ne haec quidem interpretatio ea est, in qua acquiescas. Omnium rectissime illi judicarunt, qui vocabulo מקרשים per translationem coelum significari censent, unde Deus a mortalium oculis remotus ex suis consiliis res humanas ita gubernet, ut ad destinata perveniant <sup>1)</sup>. Quae si recta sententia est, poeta hoc monere videtur, se, quum animum ab iis, quae suis oculis viderit, ad Deum divinorumque consiliorum considerationem avocans humanarum rerum cursum intueretur, aequo et adeo laeto animo ea tolerasse, in quibus antea haesitarit. Vides duplicem esse ex poetae sententia rerum contemplationem, divinam, ut ita dicam, et humanam. Illam qui ex Dei sanctuario petierit, quo nitatur, habere; hanc qui amplexetur, vacillare. Quod quorsum disputemus, si quis interroget, prologi carminis Iobi habita ratione facile respondemus. Quemadmodum enim psalmista se ad divinam sedem confugisse ait, unde res humanas intueretur alioquin inextricabiles, ita auctor carminis Iobi legentes primâ fabulâ in divini templi arcana introducens se hoc ex fastigio ea contemplari docet, quae ab Iobo ejusque amicis ad suas ipsorum opiniones revocentur.

Sed de prologi argumento eâque, quae ei cum toto carmine intercedat, ratione antequam fusius exponamus, illi impugnandi interpretes sunt, qui eum una cum epilogo a carminis auctore abjudicant <sup>2)</sup>. Multa ad probandam hanc sententiam attulerunt, sed ea maximam partem adeo infirma, ut pluribus ea refellere supersedere queamus. Nam quod monent, prologum et epilogum prosa oratione esse conceptos, cum in reliquis carminis partibus auctor poetico dicendi genere utatur; in prologo et epilogo multum tribui

1) Ita Klostermann l. c. p. 99.

2) Ita R. Simon (hist. crit. V. T. p. 28); A. Schultens (in praef. commentarii); Hasse (*Magazin f. d. bibl. orient. Literat.* I, p. 162 sqq.); Stuhlmann l. c. p. 23 sqq.; Bernstein l. c. p. 122 sqq.; Knobel l. c. p. 31 sqq., *Studd. u. Krit.* 1842 p. 485 sqq.; v. Coelln l. c. p. 291; Magnus (*Comm. z. B. Hiob* p. 8 sqq.).

sacrificiis, quorum in ipso carmine nulla fiat mentio; locum denique 1, 19 pugnare cum 19, 17; 1, 21 sqq. 2, 10 cum 3, 3 sqq. —, haec et ejusdem generis complura futilia<sup>1)</sup> sunt. Alia argumenta, quae primâ specie majoris momenti esse videntur, perspecto poetae in componendo carmine consilio facile refutaris, veluti quod premunt, in prologo et epilogo Deum יהוה appellari, in partibus libri poeticis autem אֱלֹהִים, אֱלֹהֵי; in ipso carmine poetam id agere, ut ab investigandis divinae sapientiae et providentiae consiliis dehortetur; nihilominus in prologo causam, cur Deus calamitates inflixerit, indicari. Heiligstedt in hoc offendit, quod in prologo Satanae mentio fiat. Opinionem enim de Satana, illo angelo malo, qui homines ad peccandum sollicitet, apud Deum accuset et calumniatur, eo tempore, cui carmen assignandum sit, apud Hebraeos nullam fuisse, sed demum exilii Babylonici aetate, ex theologia medopersica<sup>2)</sup> in ‚Hebraeorum theologiam‘ irrepsisse. Quare statuendum esse, eas prologi partes, in quibus de Satana agatur, a scriptore, qui post exilium Babylonicum vixerit, interpositas esse<sup>3)</sup>. Et nos quidem, ut carmen nostrum ante Babylonici exilii tempestatem<sup>3)</sup> compositum esse contendimus

1) cf. Heiligst. l. c. p. XVI; Haevernick l. c. p. 362 sqq., Schlottmann l. c. p. 37 sqq., Schroering (*theol. Stud. u. Krit.* 1843. p. 995 sqq.), Keil l. c. p. 366 sqq., Hahn l. c. p. 10 sqq.

2) cf. l. c. p. XVIII sqq.

3) Longum est et ab instituto nostro alienum, hanc, quae est de tempore, quo carmen Iobi conscriptum sit, quaestionem accurate pertractare. Pauca afferre placet huc pertinentia. Constat multos nostrae aetatis interpretes, quorum in numero Staeudlin, Augusti, Haevernick, Vaihinger, Welte, Hahn, Schlottmann, Delitzsch, Oehler, Keil, Hofmann, librum nostrum ad aetatem Salomoniacam referre, cum aliis nixis argumentis, tum ea quae libro Iobi cum scriptis veteris testamenti aetate posterioribus intercedat ratione. Haec scripta quatenam sint, si quaesieris, Jesaiae, Jeremiae aliorumque prophetarum vaticinia, Psalmos, Proverbia producant testes. Et Jeremia quidem non dubium est quin librum Iobi cognitum habuerit (cf. Jer. 20, 14 sqq. cum Iob. 3, 3 sqq. et Kueper: *Jeremias librorum sacrorum interpres atque vindex* p. 164 sq.): unde eorum sententiam, qui illum exilii Babylonici temporibus assignant (Garnett, Bernstein, Umbreit), vel adeo post ea conscriptum esse autumant (v. d. Hardt, Clericus, Warbur-



et ipsi, ita Heiligstedtii duos tantummodo prologi locos (1, 6—12; 2, 1—7) a poeta abjudicantis opinionem rejicimus, propterea potissimum, quod, locum 2, 1—7 si demeris, ea quae sequuntur intelligi nullo pacto possunt. Sin vero, quae 2, 1—7 leguntur, ad perspicuitatem omnino necessaria sunt, etiam locum 1, 6—12 integrum inviolatumque dimiseris. Quae cum ita sint, prologus isque totus removendus aut retinendus: nihil est medium. Illud autem ut faciamus, iis, quae de Satana legimus, non adducimur. Hunc enim posteriore demum tempore e ‚theologia medopersica‘ in ‚theologiam Hebraeorum‘ ascitum esse si quis dixerit, tota re errat. Nam praeterquam quod Ahriman Zendavestae a veteris testamenti Satana mirum quantum differt, id quod Heiligst. facere non potest quin concedat: ea, quae in prologo carminis nostri de Satana relata legis, ita comparata sunt, ut ex opinione domesticâ et vulgari<sup>1)</sup>, non novâ atque

ton, Heath, Gesenius, Vatke, Br. Bauer) falsam esse apparet. Neque minus in Proverbiis certa extantis libri Iobi inveniuntur indicia, idque non solum in prima Proverbiorum parte (cf. Prov. 3, 11 cum Iob. 5, 17; 8, 25 cum Iob. 15, 7; 3, 15 cum Iob. 28, 18), sed etiam in sententiis Agûri (cf. Prov. 30, 2—5 cum Iob. 42, 3 et 38, 5), quas inter et librum Iobi arctissimam intercedere necessitudinem nuperrime Riehm (cf. l. c. p. 305) et Muehlau (cf. *De proverbiorum quae dicuntur Agûri et Lemuelis origine atque indole* p. 64 sqq.) demonstrarunt. Sed ne ex hac quidem necessitudine certam de eo quo carmen Iobi conscriptum sit tempore conjecturam feceris, propterea potissimum, quod non solum, quando vixerit Agûr, sed etiam, quando prima illa Proverbiorum pars (capp. 1—9), quam alii Josaphati, alii Hiskiae temporibus assignant, alii vel post Hiskiae aetatem conscriptam esse contendunt, confecta sit, certo dici non potest. Magnam vim illi, qui librum ad aetatem Salomoniacam referunt, loco Jes. 19, 5 tribuunt, quem e libro Iobi (14, 11) translatum esse dicitant. At vero neququam certum et exploratum est, uter pro imitatore habendus sit, Jesaia an auctor carminis Iobi. Neque enim vana Staehelin (cf. l. c. p. 445) et Riehm (cf. l. c. p. 305) attulisse mihi quidem videntur locum Iobeum ex Jesaiano imitatione expressum esse contententes. Quae omnia consideranti mihi illi interpretes, qui aetatem Salomoniacam commendantes litem jam dijudicatam esse clamitant, justo fidentius agere videntur, praesertim cum ne ea quidem argumenta, quae e libri forma atque indole petunt, ita comparata sint, ut refelli nequeant. Sed satis de hoc. Reliqua alias.

1) cf. Hofmann l. c. I, p. 430. 433. 438; v. etiam Haevern. l. c. p. 348 et Del. l. c. p. 20 et 39: *Zwischen Ahriman u. Satan besteht keine treffende Aehnlichkeit.*

adventiciâ ea manasse luce clarius sit. Israelitarum autem de Satana qualis fuerit opinio, interroganti tibi interpretes eam non omni tempore eandem fuisse respondent, id quod ex hoc ipso appareat, quod diaboli in carmine Iobi descriptio diversa sit ab ea, quae alibi inveniatur. Ita fere Herder <sup>1)</sup>, Ilgen <sup>2)</sup>, Eichhorn <sup>3)</sup>. Novissima aetate Ewald <sup>4)</sup> in eandem sententiam disputavit, eo tamen discrimine, quod, cum illi Satanam carminis Iobi pro angelo bono explorandis hominum moribus destinato habendum esse autument, hic eum mali quidem genii sustinere personam censet, neque tamen magnae malorum angelorum catervae a bonis disjunctae principis ad suum arbitrium agentis, qualis in veteris testamenti libris aetate posterioribus appareat. Quas opiniones exploraturi ante omnia ea ante oculos nobis ponamus, quae prologus carminis Iobi habet huc pertinentia!

Legimus Satanam Deo Iobi pietatem in suspicionem vocasse dicentem fore, ut lobus, si malis tentaretur, eam desereret; Deum autem persuasum habuisse, servum suum per omnia vitae discrimina fidem ipsi servaturum, et accusatori permisisse, ut mala ei infligeret, quibus exploraretur pietas. Haec quae de Satana relata legimus, si diligenter examinaveris, eum ex poetae sententia unum ex divis apparitoribus (בני אלהים) esse, cujus hoc munus sit, ut homines accuset, cum alii eos defendere debeant <sup>5)</sup>, contendere dubitabis. Nam Iobi pietatem, divino iudicio illam quidem comprobata, cum nullius pretii esse dicitur et hoc maxime exoptet, ut

---

*Ueberdies bleibt es noch immer fraglich, ob nicht die Umgestaltung der alten Lehre des Feuerdienstes bei den Persern unter jüdischen Einflüssen erfolgte. Cf. Stuhr, Religions-systeme der heidn. Völker des Orients p. 373—75.*

1) cf. *Geist der hebr. Poesie* II, p. 19.

2) cf. l. c. p. 125 sqq.

3) Vid. in lex. Hebr. Sim. ed. 3. s. v. שָׂטָן.

4) cf. l. c. p. 62 sqq.

5) Ita Hirzel l. c. p. 16.

Deus servum suum in deliciis habere desinat, nonne ejus mentem divinae voluntati adversari concesseris? Quo nomine nuncupatur, eo natura ejus indolesque describitur. Est Dei eorumque qui Dei sunt adversarius (יִצְחָק), sed idem non sui juris dominus, verum in iis, quae molitur, a divino arbitrio pendens. Cum his, quae in prologo carminis Iobi continentur, visionum Sacharjanarum quartam (3, 1 sqq.) comparamus, ubi vati conspicendus praebetur Josua, Israelitarum pontifex maximus, a Satana accusatus et ob peccati labem sacerdotio indignus declaratus, sed a Deo absolutus et sollemniter in munus restitutus. Satanae Josuam accusantis quo pertinuerit consilium, intelliges, quanti ponderis sacerdotium fuerit Aaronicum, reputans. Quo cum respublica Israelitica niteretur <sup>1)</sup>, fieri non poterat quin eo sublato populi Israelitici prae omnibus gentibus principatus et hoc ipso salus generis humani, ut quae in eo verteretur, vacillaret. Vides igitur Satanam utroque loco Dei divinarumque rerum adversarium sese exhibere. Quemadmodum illic per mala divino permissu infligenda hoc efficere studet, ut Iobus a pietate recedat, ita hic humana nixus vitiositate salutare Dei consilium in populi Israelitici rebus conspicuum ad irritum redigere vult.

Haec de Satana opinio loco I. Chr. 21, 1 sqq. confirmatur, ubi diabolum Davidem impulsisse legimus, ut populi numerum iniret. Sunt qui comparato loco II. Sam. 24, 1 sqq., ubi ipse Deus iratus Davidem instigasse perhibetur, in iis, quae I. Chr. 21, 1 sqq. legantur, posteriorum opinionem deprehendant Satanae ea ascribentium, quae ab ipso Deo proficisci existumarint majores <sup>2)</sup>. Sed non est quod ad talia remedia confugas quibus locos inter se concilies. Nam hoc si tenes, Deum non sine causa populo suo atque ejus regi, superbienti illi quidem, sucensuisse,

1) cf. Hebr. VII, 11.

2) Ita Bertheau (*Die Bücher der Chronik*) p. 191.

Satanamque eum esse, qui, ut homines propter delicta apud Deum accuset eorum poenas repetiturus, ita hoc efficiat, ut peccati pullulantis vis erumpat: difficultatem facillime et ita quidem expedies, ut Davidem, quia Deus iratus pravitatis poenam irrogare voluerit, ad infelix illud consilium adductum fuisse dicas diaboli divinae voluntati inservientis impulsu<sup>1)</sup>. Hac ratione non solum hos duos locos inter se conciliari, verum etiam ea confirmari vides, quae alibi de Satana leguntur. His si Gen. c. III, ubi primi homines serpentis dolo capti a Deo defecisse et morti obnoxii evasisse perhibentur, inveniuntur prorsus similia, nonne Israelitarum de Satana sententiam ex hac narratione manasse dixeris? Quo posito et concessio profecto non mirabere, quod in prologo carminis Iobi ita de Satana agitur, ut opinionem notam et apud Israelitas pervulgatam deprehendere tibi videare. Sed ut hoc sese habet, utique eorum sententiam, qui opinionem de Satana, qualis in vetere testamento compareat, procedente tempore mutationes habuisse perhibent, falsam<sup>2)</sup> esse apparebit. Eundem ubique Dei adversarium descriptum invenis, in hominum peccatis vitaeque hujus malis efficacem, sed divinae voluntati obnoxium<sup>3)</sup>. Si Ewald locum Sacharjanum ab Iobeo in hoc differre ait, quod ibi (Sach. 3, 1) boni angeli a malis disjuncti videantur separatique, cujus rei testimonium hoc sit, quod מלאך ה' cum diabolo rixetur: id nullum verum argumentum est propterea potissimum, quod מ' ה' ipsius Dei vice fungitur. Hoc autem quid sibi velit, si interrogas, quod Satanus, ut Sach. 3, 1 coram angelo Dei, ita Iob. capp. I. et II. in numero בני אלהים coram ipso Deo apparet<sup>4)</sup>: hoc nihil aliud significari respondemus, quam eam quae Satanae cum Deo intercedat rationem, quae qualis sit, jam diximus.

1) cf. Hofm. l. c. p. 437 sqq.

2) cf. Schlottm. l. c. p. 38.

3) cf. Gesen. *thes.* p. 1328.

4) cf. I. Regg. 22, 19 sqq.

Ewaldi denique conjecturam, ex eo quod Satanus solus divis sese im-misceat, colligentis, opinionem de eo ut magnae malorum angelorum ca-tervae principe illo tempore, quo carmen conscriptum sit, nondum inva-luisse, Schlottmann <sup>1)</sup> satis bene refutavit.

Demonstrasse nobis videmur, tantum abesse, ut ea, quae in prologo de Satana leguntur, ‚fabellas‘ vel ‚commenta adventicia‘ redoleant, ut cum iis, quae in reliquis veteris testamenti libris inveniuntur, consentiant con-cinantque, modo recte ea intellexeris et quae ad orationis ornatum poe-ticum pertinent, detraxeris. Verum interpretes in hoc quoque offendunt, quod Deus quidem Iobum in malis a pietate non discessurum esse con-tendat, Iobus vero calamitatibus tentatus pietatem suam non comproba-verit: unde Satanam, qui Iobum in calamitates conjectum in virtute mansurum esse negarit, rectius quam Deum id, quod Iobus facturus sit, praevidisse pateat. Ita Knobel aliique, hanc difficultatem alio modo removeri non posse dictitantes nisi ita, ut prologus alii atque car-minis scriptori tribuatur. Sed hoc quoque temere eos contendere facile intellexeris. Satanus Iobum malis tentatum pietati renunciaturum ait, Deus eum fidem ipsi servaturum persuasum habet. Jam ubi divino per-missu miseriarum tempestates ei excitantur: quamquam lamentis indulget, quin etiam arrogantius se gerit, tamen a Deo non desciscit, sed in ejus officio permanet. Quae cum ita sint, non est quod prologum cum car-minis argumento pugnare dicas. Quemadmodum Satanus in illa visione Sacharjana Israelitarum pontificem maximum nequidquam accusat, ita etiam ex auctoris carminis Iobi sententia causâ prorsus cecidisse existi-mandus est <sup>2)</sup>.

1) cf. l. c. p. 39.

2) cf. Herder l. c. I, p. 134; Rosenmueller l. c. p. 16 sqq.; Eichhorn (*Einl. in das A. T.* V, p. 194), Schlottm. l. c. p. 38; Hofmann l. c. p. 435 sqq.; Del. l. c. p. 22; Gaupp (*prakt. Theol.* II, 1 p. 488 sqq.).

Jam postquam eorum opinionem qui prologum subditicium esse perhibent, firmo quo nitatur carere fundamento demonstravimus: ad propositum reversi, quae ei cum toto carmine intercedat ratio, exponamus!

Diximus interpretibus offensioni fuisse, quod in prologo et epologo Deus יהוה appelletur, in partibus libri autem poeticis אֱלֹהִים, אֱלֹהֵי שָׁרִי. Cujus rei causam si Heiligst. in consilio scriptoris positam esse contendit <sup>1)</sup> in partibus carminis poeticis אֱלֹהֵי שָׁרִי dicentis, ubi autem narratoris personam sustineat, nomine ה' utentis, eum difficultatem circumvisse magis vitabundum quam solvisse dixeris. Gesenii <sup>2)</sup> rem inde explicantis conjecturam, quod nomen ה' pedestri orationi, nomen אֱלֹהִים poeticae magis conveniat, nostra aetate vix erit qui amplexetur. Propius ad veritatem illi accedunt, qui monent <sup>3)</sup>: quia in prologo divina in administrandis rebus humanis ratio explorata videatur ac dilucida, in ipso autem carmine per opinionum certamina evolvenda, idcirco illic nominis ה', hic nominis אֱלֹהִים usum vigere. Sed ne hac quidem interpretatione res ab omni parte explanatur. Nosmet ipsi quid de hac quaestione judicemus, eorum quae supra monuimus recordanti non dubium erit. Postquam enim poetam in prologo suam ipsius sententiam, quâ ea metiatur, quae Iobum ejusque amicos suis opinionibus ponderantes faciat, profiteri diximus, nominum illam vicissitudinem eodem referentes Eichhornio <sup>4)</sup> astipulabimur nominis ה' usu poetam sese distinguere voluisse

1) cf. l. c. p. 16.

2) Ita in *thes.* s. v. אֱלֹהִים. Cf. Gleiss l. c. p. 5.

3) cf. Hahn l. c. p. 12: *Im Prolog herrscht die reine Klarheit über das h. Walten Gottes mit seinen Kindern. Im Gedichte selbst will der Geist sich diese Klarheit erst erringen, den verborgenen Gott erst erforschen, der in seinen dunkeln Wegen ihm wesentlich als ein fremder, ferner, in seiner Allmacht hoch über der Welt waltender Gott, als Elohim erscheint. Wie könnte hier der Name Jehovah gebraucht sein, dessen Kern in der heilsamen Offenbarung der verborgenen Wesenheit Gottes besteht, weshalb er auch der theokratische Name Gottes ist?*

4) cf. l. c. p. 190: *Sich, dem Geschichtschreiber, wollte er einen andern Charakter*

contententi ab iis, quos in ipso carmine inducat concertantes <sup>1)</sup>. Agnoscimus Israelitam, qui eum Deum, de quo Iobus auditione tantum et fama se audivisse ait, cognitum habet, Deum salutis et gratiae. Quem cum noverit, aliâ utitur rerum divinarum humanarumque contemplatione, atque illi, qui ab ejus notitia alieni sunt. Jam postquam primâ fabulâ arcana divinae caritatis consilia, probissimum quemque malis tentari sientis, ut pietatis contra Satanae impetus tenax hunc superet, cum legentibus communicavit itaque eos, unde rem intueri debeant, docuit: ipsum mortalem calamitatibus divinitus immissis vexatum vitaeque hujus difficultatibus exagitatam non acquiescere ostendit, nisi in ipsâ ejus Dei, cui nomen יהוה sit, gratiosâ praesentiâ. Quod ostendens qua via ac ratione procedat, jam exposuimus.

Et haec quidem de prologo. Ad epilogum autem quod attinet (42, 7—17), hunc quoque cum ipso carminis argumento pugnare non desunt qui contendant. In carmine enim Iobum, qui Dei consilia vituperaverit et adversus mala sibi illata fremuerit, graviter a Deo objurgari objurgatumque perperam se dixisse confiteri. Contrarium autem in epilogo inveniri. Hic enim Iobum non objurgari, sed valde collaudari, quia de Deo pronunciaverit recta. Nihil igitur manifestius esse posse quam hancce carminis cum epilogo dissimilitudinem, nihil certius, quam hunc e poetae ingenio non manasse. Quam opinionem eo quoque confirmari, quod 38, 2 Deus Iobum imprudentem declaret et Iobus ipse divina oratione audita se de rebus quas non norit, temere judicasse fateatur (42, 3), in epilogo autem ei tanta intelligentia adjudicetur, ut de divina rerum hu-

geben, als Hiob, seinen Freunden und Gegnern, weil er sich von den Kämpfenden zu unterscheiden hatte.

1) cf. Del. l. c. p. 6: *Seinen eigenen israel. Standpunkt verleugnet der Verf. nicht, wie man schon daraus sieht, dass er in dem erzählenden prologischen u. epilogischen Theil Gott überall יהוה nennt.*

manarum administratione recta pronunciare potuerit (42, 7). Denique hoc quoque mirum videri, quod Deus amicis Iobi graviter succenseat poenasque minuetur (42, 7—9), quamquam nihil contra Deum peccaverint, nisi quod impios esse miseros constanter dictitantes erraverint, cuius erroris et ipse Iobus in epilogo collaudatus sit particeps (27, 7—23). Jam cum Deus ex poetae sententiâ capp. 38.—41. propositâ non ita injuste agat, ut merum errorem in quaestione tam difficili admissum poena dignum censeat, dubium non esse, quin universam actionem ita deduxerit, ut Iobi amici impuniti mitterentur, Iobus autem ob reverentiam Deo denegatam objurgaretur. Quo perspecto facile decerni posse, an epilogus, ut quo prorsus alia atque carmine de Dei defensoribus sententia contineatur, ab eodem auctore profectus sit <sup>1)</sup>).

Hac fere usu argumentatione nonnulli e recentiorum numero epilogum a carminis auctore abjudicandum esse censent. Sed infirma sunt quae afferunt argumenta. Nam quod monent, laudem Iobo 42, 7 tributam pugnare cum eo, quod in ipso carmine a Deo vituperetur: nonne Iobus et laudandus et vituperandus fuit? Vituperandus, quod tantum sibi sumserat, ut divinam mundi gubernationem reprehenderet et cum Deo litigaret, laudandus, quod contra amicos, ut qui divinam justitiam sustentaturi a veritate deflectere non dubitarent, in defendendâ suâ permanserat innocentiam? Haec laus si deesset, profecto haberes quod desiderares. Non est igitur, quod epilogum divinae orationi adversari dicas. Tantum abest ut ei adversetur, ut ab ea separari non possit. Impunitos autem dimittendos fuisse amicos qui contendunt, parum illi quidem reputarunt, eos non per errorem lapsos, sed scientes ac prudentes esse mentitos. Ad locum denique 27, 7—23, ubi Iobus amicis improbos miseros esse

1) cf. Knob. l. c. p. 32 sq.



dictitantibus assentari videtur, quod attinet, alii <sup>1)</sup> vv. 13—23, alii <sup>2)</sup> vv. 11—23 Zopharo assignant, alii omnia, quae a 27, 7 usque ad 28, 8 legantur, aliena manu inserta esse <sup>3)</sup>, alii Iobum non suam sed amicorum sententiam exprimere <sup>4)</sup>, alii eum jam profiteri censent, quae antea cum amicis concertans reticuerit <sup>5)</sup>. Sed non est quod ad ejusmodi remedia descendas difficultatem soluturus. Clara et expedita sunt omnia Iobum illo loco amicos suo ipsorum gladio jugulare <sup>6)</sup> sument. Hi enim postquam Iobo eum qui improbos maneat vitae exitum identidem ea mente ostenderunt, ut impium se esse agnoscens poenitentiâ interitum averruncet, jam ipse eundem iis eo consilio ostendit, ut ipsum ex impiis non esse intelligant falsamque sese de ipso ex improborum sorte fecisse conjecturam concedant. Quaeritur autem, loci hujus ita explicati qui cum sequentibus sit nexus. Sunt qui particulam ׀ (28, 1) ad 27, 11 sq. pertinere rati sententiarum progressum in hoc cerni dicant, quod Iobus inde a 28, 1 sq. amicos, cur de divina in gubernandis rebus humanis ratione tam temere judicent, doceat, ejus rei causam inde repetens, quod homo magnâ quidem occultissima quaeque indagandi facultate praeditus sit (28, 1—11), sapientiam autem divinam investigare nequeat, ut quae a mortaliū remota sit oculis (27, 12 sqq.) <sup>7)</sup>. Sed praeterquam quod Iobus non de sapientia Dei inexplicabili, quam homo submisce adorare debeat, sed de ea sapientia loquitur, quae in pio Dei cultu et fuga mali est posita<sup>6</sup>, id quod ex loco 28, 28 elucet: mihi quidem nemo unquam

1) Ita Kennicott (*remarks on select passages in the old test.* p. 169 et *diss. gen. in V. T.* ed. Bruns p. 539 sqq.), Eichhorn (*Allgem. Bibliothek d. bibl. Liter.* II. p. 615 sqq.), Bertholdt l. c. p. 2163 sqq.

2) Ita Stuhlmann l. c. p. 76 sqq.

3) Ita Bernstein l. c. p. 133 sqq.

4) Ita Eichhorn (*Hiob übers. Gött.* 1824 p. 97.)

5) Ita Knobel l. c. p. 26.

6) cf. Ewald l. c. p. 252 sq., Del. l. c. p. 322 sq., Heiligst. p. 187.

7) Ita Riehm l. c. p. 293; cf. Hirz. et Heiligst. ad h. l.

persuadebit, fieri posse, ut illud כִּי (28, 1) non ad ea, quae proxime antecedunt, sed missis iis, quae inde a 27, 13 usque ad 27, 23 leguntur, ad 27, 11—12 referatur. Omnium rectissime Delitzsch <sup>1)</sup> Hofmannum <sup>2)</sup> secutus rem expedivit Iobum inde a 28, 1 hoc agere contendens, ut improborum tristem exitum inde explicet, quod mortales, licet remotissima quaeque investigent, tamen verà sapientià non potiantur, non e regione rerum sensibus obnoxiarum illà quidem petendà, sed Deo soli notà et a Deo solo discendà, cujus doctrina haec sit: הֵן יִרְאֶה אֲדוֹנֵי הָיָה חֲכָמָה וְסוֹר מֵרַע בִּינָה.

Quae omnia siquidem recte disputavimus, Iobum 27, 7—23 in eundem atque amicos incidisse ‚errorem‘ vix dixeris. Sed interpretes illis argumentis, quibus epilogum alii atque carminis auctori tribuendum esse probare student, hoc quoque addunt, quod epilogi auctor Iobum non solum a Deo laudatum, sed etiam in pristinam conditionem eamque feliciorum quam antea restitutum faciat. Cujus rei causa cum secundum prologum et epilogum non nisi in Iobi pietate ponenda sit, apparere, eorum auctorem illam opinionem inveteratam tenere, quam Eliphasus et socii eius tueantur. Haec autem cum a scriptore in ipso carmine impugnetur, sequi, ut prologus et epilogus ab aliena manu profecti sint <sup>3)</sup>. — Non dubium est quin, si hoc poetae in componendo carmine propositum fuit, ut eorum opinionem, qui justa lance mortalibus jam in hac vita rependi statuebant, impugnaret, epilogus removendus sit. Quare Hirzelium, qui, quamquam hanc de poetae consilio sententiam amplectitur, tamen epilogum retinendum esse censet <sup>4)</sup>, sibi ipsi non constituisse <sup>5)</sup> dixerim. Sed aliam

- 
- 1) cf. l. c. p. 324 sq.
  - 2) cf. l. c. I, p. 96 sq.
  - 3) cf. Knob. l. c. p. 35 sq.
  - 4) cf. l. c. p. 5 sq.
  - 5) cf. Haevernick l. c. p. 363.

rei rationem deprehendes, si carminis summam alio redire tibi persuaseris. Interpretum, ut quisque in hanc illamve de poetae consilio inclinatum opinionem, variae sententiae sunt. Heiligstedt epilogi doctrinam cum toto ius carminis argumento comprehendens ostendi censet, piis, qui rebus adversis conflictentur, spem ponendam esse in Deo, qui eorum res ad felicem exitum perducturus sit; Delitzsch divinum pro Iobo testimonium re et veritate confirmandum fuisse arbitratur i. e. Iobi in pristinam conditionem reditu. Hoc fabulae exitu doceri, mala, quae piis infligantur, viam munire ad duplicem felicitatem consequendam. Similiter Hahn, qui, postquam Deus litem secundum Iobum dijudicavit, fieri non potuisse dicitur quin restitueretur. Alii aliter. Et nos quidem, qui libri cardinem in Dei praesentia ejusque effectu versari diximus, ut epilogum ab ipso carminis auctore conscriptum esse tenemus, ita in hoc, quod Iobus felicitatem amissam recuperasse dicitur, accessionem cognoscimus ad formam carminis <sup>1)</sup>, non ad rem ipsam pertinentem, quam adjunxit poeta, ne, si Iobus in miseris permansisset, legentium animi vulnerarentur <sup>2)</sup>.

Sed non est quod amplius in tractanda ea quae est de prologo et epologo quaestione versemur, cum plerique nostrae aetatis interpretum eos ab ipso carminis auctore conscriptos esse consentiant Rosenmullero <sup>3)</sup> astipulantes, qui „Opus, inquit, omni ex parte imperfectum habes, meros sermones, quorum causam, rationem et finem ignoras, exordium et clausulam si demas“ De loco 40, 15—41, 26 <sup>4)</sup>, quem a posterioris aetatis poeta insertum esse nonnulli existimant, exponere supersedemus, cum ea res longius ab incepto nos traheret. Priusquam autem finem disputandi faciamus, colligamus et commoneamus quibus de rebus verba fecerimus breviter!

1) Ita recte E. Reuss (*Das Buch Hiob*. 1869). Cf. Noeldeke l. c. p. 188.

2) cf. Bleek l. c. p. 655; Davidson l. c. p. 202; Simson l. c. p. 12 sq.

3) cf. l. c. p. 46.

4) cf. quae Del. de hoc loco disputavit l. c. p. 500 sqq.

De carminis Iobi argumento disputantibus nobis illi errasse visi sunt, qui id potissimum poetam egisse censent, ut unam aliquam opinionem refutaret confirmaretve aut novam de hac illave re sententiam introduceret. Haud quidem abnuerim, multa eaque gravissima libro doceri, veluti perversam esse eorum opinionem, qui cunctarum calamitatum causas a Dei justitia ultrice repetant, vel a recto declinare eos, qui rebus adversis conflictantes cum Deo litigent, atque ejusdem generis complura. Sed qui in his summam libri sententiam ponendam esse existumant, angustioribus eam limitibus circumscribunt: id quod ex hoc ipso cognoveris, quod integras carminis partes a poeta abjudicare necessario coguntur. Qui enim poetam hoc spectasse dicunt, ut quaestione de causis malorum quae piis acciderent institutâ ad comprobendam pietatem illa quidem infligi ostenderet, facere non possunt quin orationes Elihuanas a carmine semoveant; qui summam libri eo redire contendunt, ut pro suis cuique meritis jam in hac vita rependi statuentium error impugnetur, in epîlogo maxime offendunt; qui denique poetam ab investigandis divinae sapientiae et providentiae consiliis dehortari dicunt, prologum suspectum reddunt. Non dubium autem est quin illa anteponenda sententia sit, quam salvâ libri integritate amplecti et defendere ita queas, ut non in explicanda fabulae oeconomia ad argutias confugere cogaris. Quod utrum in nostram cadat necne, quo facilius examinare queas: antequam perorem, ejus summam breviter complectamur!

Poeta, natione Israelita, quantum mortales suis ipsorum viribus, suâ pietate, suâ sapientiâ valeant ad tolerandas vitae hujus ambages, demonstraturus hominem in scenam producit a populi Israelitici consortio alienum, sed eundem quadam Dei cognitione imbutum et singulari pietatis studio insignem. Is praeter spem et opinionem maximis calamitatibus implicatus cum, quâ rem expediat, ignoret, vehementissimis querelis indulget. Amici, qui ad eum consolandum adventant, occulta aperire student neque

tamen quidquam proficiunt. Nam a Dei justitia ultrice malorum causam repetentes inque eam sententiam disputantes, ut omnes calamitates pro peccatorum poenis habendas esse contendant, superantur ac tacere coguntur. Sic Iobus victor quidem evasit; sed qui homines devicit jam contra Deum peccavit eo usque audaciae progressus, ut cum eo litigaret.

Rem ab amicis infeliciter tentatam excipit alius, qui Iobum cum ob ferociam arrogantiamque iis quae contra Deum jactaverit conspicuam corripit, tum malorum naturam explanaturus ea a Dei caritate proficisci docet hoc spectantis ut hominum mores emendet. Rectissima haec quidem nec frustra prolata. Iobus, qui cum amicis concertans victor discessit, jam silet conscientiam convictus. At veram doloris medicinam malorumque solatium nondum invenit eadem qua Dei adventum toties exoptavit sollicitudine usque affectus.

Vide sis, homines quid valeant ad tranquillandam mentem vitae hujus ambagibus perturbatam! Qui primi experti vires sunt, nihil profecerunt; qui his repulsis rem tentavit, felicius quidem eam gessit neque tamen expedit; afflicti ipse solatium, quo indiget, non invenit, quid quod eo usque processit, ut verbis in Deum peccaret!

Poeta postquam fabulam eo deduxit, ut hominum conatus ad irritum cecidisse appareat, Deum in scenam producit. Quem cum nomine יהוה nuncupet, eum Deum agnoscimus, qui populo Israelitico sese patefecit salutem generi allaturus humano. Cujus Dei adventu ea effici vides, quae homines suis viribus consequi non potuerunt. Afflicti mens perturbata acquiescit. Quamquam divinam oratione nihil novi docetur, sed quid aliud quam ob arrogantiam, qua abreptus humanae intelligentiae terminos excesserit, vituperatur, tamen, ut pudefactus, ita laetus ac tranquillus est; nam Deum vidit sibi apparentem verbaque ad se facientem.

Haec de fabulae oeconomia si recte disputavimus: neque orationes Elibuanas a poeta abjudicabis et libri cardinem in Dei adventu versari

concedes. Ad epilogum autem quod attinet, in accessionis partem, ut supra diximus, ille quidem accipiendus est ad libri formam, non ad rem ipsam pertinentis. In prologo denique vera malorum ratio legentibus aperitur, ut habeant, quo singula metiantur, ejus Dei imbuti consiliis, quem qui noveri, vel vitae hujus calamitatibus circumventum acquiescere posse ipso fabulae exitu docentur.

Restat ut ad ea advertamus animos, quae in novo testamento leguntur ad Iobi res pertinentia. Et Jacobus quidem eos, ad quos literas dat, ad patientiam adhortans: *ὑπόδειγμα* — inquit — *λάβετε τῆς κακοπαθείας, ἀδελφοί μου, καὶ τῆς μακροθυμίας, τοὺς προσήτας, οἱ ἐλάλησαν τῷ ὀνόματι κυρίου. Ἴδού μακαρίζομεν τοὺς ὑπομένοντας. τὴν ὑπομονὴν Ἰὼβ ἠκούσατε καὶ τὸ τέλος κυρίου εἶδετε, ὅτι πολὺσπλαγγνός ἐστιν ὁ κύριος καὶ οἰκτιρῶν*<sup>1)</sup>. His Jacobi verbis in-nixus si quis auctori carminis Iobi hoc potissimum propositum fuisse diceret, ut perfectum verae patientiae proponeret exemplar, in aliam illai partem acciperet ac dicta sunt<sup>2)</sup>. Neque enim Jacobus summam libri Iobi significare vult<sup>3)</sup>, sed legentes, ne in rebus adversis languescant, moniturus Iobi malorum mole obruti patientiam praedicat exitu illam quidem comprobata. Quod *τῆς κακοπαθείας καὶ μακροθυμίας ὑπόδειγμα* si imitentur, fieri non posse quin ‚fine sperato‘ potiantur et ipsi<sup>4)</sup>. Quemadmodum enim Iobus Dei auxilio venientis praesentia (τὸ τέλος κυρίου) voti evaserit compos, ita etiam ipsos praemio ornatum iri adventu Jesu Christi, qui prope adsit (*ὅτι ἡ παρουσία τοῦ κυρίου ἤγγικε* v. 8). Quae si verborum Jacobi sententia est: ut nostram de poetae in componendo carmine consilio opinionem deseramus, nos non adducent.

Delitzsch de ea quae libro Iobi cum novo testamento intercedat ratione disputans in Iobi, malis divinitus immissis obruti, laboribus prae-

1) cf. Jac. 5, 10—11. — 2) cf. Gleiss p. 7 sq. — 3) Ita Hengstenberg l. c. p. 191. — 4) cf. quae Bengel ad l. Jac. 5, 11 disputavit.

formatam Jesu Christi perpeſſionum imaginem, quibus ſanctus periculi noſtri vindex Satanam devicerit iramque divinam expiaverit, cerni contendit <sup>1)</sup>. Apparet hanc Delitzschii ſententiam ex ea, quam de carminis argumento concepit, opinione manaſſe. Nam id agere poetam ratus, ut probiſſimum quemque ad pietatem contra Satanae molimina comprobendam malis tentari oſtendat, facile adducitur ut his vim illam fatidicam ineſſe credat. Sed aliam libri Iobi cum novo teſtamento neceſſitudinem ſtatues, noſtram de illius argumento ſententiam ſi aſciveris. Ut paucis rem abſolvamus <sup>2)</sup>: ſupremi numinis praesentiâ, in qua Iobi animum acquieſcere videmus, populus fruebatur Iſraeliticus divinae voluntatis notiâ prae ceteris gentibus inſignis. Neque tamen juſta fuit illa ac vera Dei praesentia, ſed ejus veluti praenuncia et adumbrata imago. Hinc creberrimae illae voces Dei ſeſe patefacientis adventum deſiderantes, quibus veteris teſtamenti libros perlegentis aures perſonant. Huic deſiderio Jesu Christi has in terras adventu ſatisfactum eſt, qui vera cum gloria de ſe praedicare <sup>3)</sup> potuit: *ὁ ἑώρακώς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα*. Quem qui ſincera fide fuerit amplexus, e vitae hujus quaſi tempeſtate et fluctibus ereptus portum otii cepit, ubi tranquillo animo et quieto fruitur exploratiſſimum habens, *ὅτι οὔτε θάνατος οὔτε ζωὴ οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαὶ οὔτε δυνάμεις οὔτε ἐνεστώτα οὔτε μέλλοντα οὔτε ὑψωμα οὔτε βάθος οὔτε τις κτίσις ἑτέρα δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ, τῆς ἐν Χριſτῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν* <sup>4)</sup>. Hoc ex ſtaſtigio, ut ita dicam, ſi carminis noſtri reſpexeris argumentum: ut per Dei Iobo apparentis praesentiam Jesu Christi has in terras adventum praenunciari dices, ita in Iobi perſona et rebus expreſſam generis humani effigiem agnoſces *ζητούντος τὸν κύριον, εἰ ἄρα γε ψηλαφήσειαν αὐτὸν καὶ εὔροιεν* <sup>5)</sup>.

1) cf. l. c. p. 22 ſq. — 2) cf. Schlottmann l. c. p. 64 ſq. — 3) cf. Joh. 14, 9. 4) ad Rom. 8, 38–39. — 5) Act. 17, 27.



Ar 869 B  
Volck

HIS RITE PRAEMISSIS SCITOTE, COMMILITONES HUMANISSIMI, VIRUM  
SUMME VENERABILEM,

## CHR. HENR. OTT. GIRGENSOHN

THEOL. ET PHILOS. DR., SACERDOTE M AD AEDEM S. OLAI REVALENSEM PRIMARIUM,  
CONSISTORII REVALENSIS PRAESIDEM VICARIUM, ORDD. S. ANNAE, S. STANISLAI EQUITEM,  
INSIGNI AUREAE CRUCIS ORNATUM E.C. ETC.

PRIDIE CALENDAS DECLIBRES MUNERIS SACRA SEMISAECULARIA FACTURUM.  
QUEM DIEM SOLLEMNEM UT EA QUA PAR EST OBSERVANTIA CONCELEBRETIS  
ILLUSTRIUM VIRI HUIUS EXIMII IN RES NOSTRAS MERITORUM MEMORES,  
HOC LIBELLO MONITOS VOS VOLUMUS.